

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Cl. 6.
9. a. 124.





CHRISTOPH: JOACHIMI Bucholtz
JCTi Confiliarii Hassiaci & in Academia
Rinteliensi Professoris

ADSSERTIO

RESPONSI JURIS

*Pro matrimonio Principis cum
defunctæ Uxoris sorore*

ADVERSUS ARGUMENTA

Johan: Ottonis Taboris JCTi

Michaelis Havemanni Theologi.



Rintelii, Typis & sumtibus Viduae Lucianæ

Anno. MDCCCLXIX.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

ALDERTIO

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





ADSSERTIONIS

Proœmium.



Ctavius nunc vertitur annus, quo Respon-
sum Juris pro matrimonio Principis
cum defunctæ uxoris sorore contracto
publici juris factum, eoque demonstra-
tum est, ejusmodi nuptias nec divinã
nec naturæ lege prohibitas dispensatio-
nem humanam admittere, salvis legibus
positivis & sanctionibus Ecclesiæ talia matrimonii genera da-
mnantibus.

Invenit hoc duos oppugnatores, alterum Jurisconsultum, alterum
Theologum, quorum ille in suo, quod edidit, armamentario
Justiniani, hic in tractatu connubiorum Gamologiã synopti-
cam appellato, illud invasum magis quàm prostratum ive-
runt. Equidem spes nobis non erat nulla, tantos Antagonistas
in minimè provocatos aliquid operæ pretium facturos, & pro
sua fama, quã alter jam claret, alter clarere laborat, talia nobis
argumenta opposituros fuisse quibus si nõ expugnata, saltem
rectè oppugnata videri possent rationes satis prolixè & clarè in
nostro Responso propositæ. Verum ibi nihil offendere licet,

- præter id , quod ad infringenda argumenta nostra tam ineptum est, quam quid maximè. Uterque enim Antagonista adserit Deum Opt. Max. per Mosen prohibuisse matrimoniū cum defunctæ uxoris sorore, & quidem ex ratione & lege naturæ: Neuter verò istam suam probat adsertionem; Nobis sufficere poterat mera istius adsertionis negatio, donec aliquis probatam sisteret contradictoriam adfirmantem. Nihil tamen minus probatam dedimus negativam nostram præter morem & necessitatem disputantium. Resp. nostro *sub num. 161. seqq. & num. 289. seqq.* Quæ enim probatio clarior esse potest, hac nostrâ? quâ constat, Deum per Mosen prohibuisse, ne quis duceret sororem uxoris eâ adhuc vivente. *Es solle keiner seines Weibes Schwester nehmen/neben ihr / ihr zuwider / weil Sie noch lebet.* Hanc prohibitionem limitatam & restrictam esse ad solum casum uxoris viventis, si quis velit negare, eamque extendere ad casum uxoris defunctæ, illum oportet evidente contradictione sustinere velle, idem esse, vivere & non vivere, seu mortuum esse. Nihil equidem absurdi exinde surgeret, si Deus prohibuisset tam cū defunctæ quam viventis uxoris sorore matrimonium. Sed qui talem prohibitionem defendere conatur, illi monstrandus est alius locus in lege divina, ubi cum defunctæ uxoris sorore nuptiæ sint prohibitæ. Macerant se uterque adversantes, ut per aliquam consequentiam absolutam & indeterminatam nuptiarum cum sorore uxoris prohibitionem lectoribus suis inculcent; Quam verò irritum conatu & successu planè nullo, id demonstrabimus luculenter in sequentibus. Initio autem Jcti, deinde Theologi argumenta adsumemus, eaque singula juxta ordinem ab ipsis observatum examinabimus. De causæ veritate & victoria judicium benevolo & affectibus vacuo lectori relinquentes.
- Quin-

☪ ☪ 5 ☪ ☪

Quinque capitibus rem totam conficiemus, primo occasionem, quam autor armamentarii ad sua nobis argumenta^{12.} opponendum, arripuit, & simul ipsa ejus argumenta recensibimus. Secundo eorum fragilitatem in lucem protrahemus. Tertio Confutationem adversarii examinabimus, eamque e-lumbem sistemus. Quarto quæstionem, an in facto vel jure nostræ pars quæstionis consistat, ex adverso negatam à nobis affirmatam adseremus. Quinto denique Theol. Havemanni argumenta seorsim repetita confutabimus tribus membris, primo ipsius fundamenta contra matrimonium cum defunctæ uxoris sorore, altero confutationem nostrorum argumentorum, tertio aliquot conclusiones Gamologiae ad Jus naturæ, prohibitionem graduum, & dispensationem pertinentes tribus articulis examinaturi.

C A P U T I.

*Occasio contradicendi & argumenta
D. Taboris ꝛ Cti.*

Dostquam autor Armamentarii *cap. VI.* sibi^{1.} proposuisset, illa juris permissivi argumenta, quibus armorum abusus excusari soleat, repellere, & differentiam istarum rerum, quæ verè sint juris permissivi, & quæ ex falsa opinionetales esse censeantur, inculcare, de his, quæ jure permissa sunt, hanc ponit regulam: Factum à lege permissum pœnam non mereri. Quam deinde inter alias limitationes ita restringit:^{2.} Quod lex permittens aliquid in speciali causa aut gente non sit opponenda legi alii generalius prohibenti. Exem-^{3.}

- pli loco ponit legem Mosis iubentem ducere viduam fratris sine liberis defuncti: quæ non sit opponenda legi generalius prohibenti commistionem cum vidua fratris defuncti, cum illa tantum temporalis fuerit ad politiam Judaicam perti-
4. nens, hæc autem perpetua & ab omnibus observanda. Pergit in specie ad constitutionem Mosaicam in Levit. cap. XVIII. exstantem, eamque non politicam, scilicet forensem aut ceremonialem, sed universalem, scilicet moralem omnes homines perpetuo ac sine mutatione obligantem affirmat. Quibus positus, inducit ex verbis generalibus, Nemo ducat carnem carnis suæ, Niemand solle sich zu seiner negsten Blutsfreundin thun / ihre Scham zublößen / uti Lutherus reddidit, quod conjunctiones ibi prohibita repugnent juri naturæ, per
 6. Dd. à se allegatos. Quod etiam in specie adseverare videtur de matrimonio cum vidua fratris. Hac thesi posita *sub num. 8.*
 7. ad antithesin progreditur, & his contraria docere se nosse dicit Pontificios scriptores, eorumque sequaces Besoldum papizantem & Hartmannum Pistoris, quibus etiam novissimè suffragetur Autor Responsi pro matrimonio Principis cum defunctæ uxoris sorore contracto. Et hæc est occasio, quam loco fortè minus congruo capit Antagonista ad rodendum magis quam refutandum hoc responsum. Per nos quidem licet, ipse de hac quæstione statuat, quid velit: Nec enim pri-
 8. mus ille contrariam à nobis fovet opinionem, sed plurimos habet se præeuntes, quos omnes suo sensu facile patimur abundare, præsertim qui conscientiam hoc onere gravatam prætendunt, & tantum non pro fidei articulo hanc suam aliis opinionem obtrusum eunt. Utrum verò satis causæ habuerit occasione armorum suorum hoc Responsum nostrum adeò obtusis armis, telisque hebetibus aggrediendi, aliorum esto
 9. iudicium.
- Quod

Quod autem ex illis armamentis Responsum nostrum 10.
 nihil detrimenti ceperit, id immotis probatum dabimus ar-
 gumentis, postquam verba armamentarii, ne auctori injuriam
 facere videamur, utque Lectori de narratis ipsius constet, bona
 fide recensuerimus: Hæc ita habent.

Non ignoramus, inquit auctor Armamentarii, Pontifi- 11.
 cios scriptores, eorumque sequaces, puta Besoldum papizan-
 tem *part. 4. Cons. 178.* Hartmannum Pistoris *observ. 112. n. 98. &*
seqq. (ubi negat jure divino hanc conjunctionem prohibito-
 nem habere) adducto eum in finem testimonio Brentii, Jo-
 hannem Baptistam Casarem *in Consil. Altorfino adoptivo 109.*
 contraria his docere & admittere: Quibus etiam novissime
 suffragatur auctor Responsi pro matrimonio Principis cum
 defunctæ uxoris sorore contracto: Qui tamen libenter con- 12.
 cedit, matrimonium cum fratris vidua (extra casum Deute-
 ronom. *c. XV. vers. 5.*) verbo Dei verè & indubitato esse prohi-
 bitum: Sed inde non statim concludendum esse scribit, ma-
 trimonium cum defunctæ uxoris sorore itidem prohibitum
pag. 103. n. 344. Quin imò hoc matrimonium jure divino &
 naturali permissum esse contendit *d. Resp. pag. 62.* Sed præ-
 terquam, quod in utroque casu eadem militat ratio & senten- 13.
 tia, ne quis misceatur carni carnis suæ, rationes adversariæ tan- 14.
 ti non sunt, ut à sententia in Ecclesia orthodoxa recepta,
 quemquam debeant dimovere. Absit enim, ut dicamus, in 15.
 Ecclesia orthodoxa improbari sententiam quæ jure divino &
 naturali permissa sit (quod in formato quæstionis statu conti-
 netur *d. Resp. pag. 62.*) Primo enim negamus, quæstionem 16.
 hanc, an jure divino hoc matrimonium sit prohibitum? facti
 esse, quod ille præsupponit *pag. 62.* Siquidem an facinus ali- 17.
 quod Jure sit prohibitum, nequaquam ad quæstionem facti,
 sed

sed Juris pertinet *vid. c. 44. & ibi Cujac. de appellation. l. Voluntatis questio. 7. C. d. fideicommiss. l. ex verbis. 14. C. de donat. int. vir. & uxor. l. 10. S. ult. de instruct. vel instrum. legat.*

18. ubi Cujacius in Scavola memorat, Gallum Aquilium, cum de facto quaereretur, consultores ad Ciceronem rejecisse, quoniam facti quaestio sit in disquisitione Rhetorum & Judicum,

19. non Jurisperitorum. Nec sequitur, dubium esse, utrum factum aliquod jure decisum sit? Ergo quaestionem non esse juris. Nam & hic nullatenus de facto aliquo quaeritur, an ita

20. contigerit ut narratur, sed de jure, an jure communi prohibitum vel permissum sit. Solet equidem de statutis dici, ea facti

21. esse, & in facto consistere *can. 1. de constit. in 6.* Sed intelliguntur ibi particularia aut juri communi contraria, vel certe ea, de quibus liquido non constat, an statuta & introducta sint, nec ne, ut ibi notav. confer Menoch. 2. *presumpt. 8. n. 7. seqq.* Altera subtilitas facile eluditur contraria quaestionis informatione:

22. Negamus enim ullibi in jure divino generaliter sive universaliter (omnibus) hoc matrimonium permissum esse. Tertio probavimus supra abundantissime, prohibitionem ex veteri & novo foedere. Quarto verba *Levitici XVIII. vers. 18. Neben jhr/jhr zuwider/weil sie noch lebet* / non possunt ad contrarium sensum inferendum genericè allegari: 1. Quia ista argumentandi ratio non procedit in dispositione negativè concepta, *vid. l. 4. C. d. peric. tutor. & Curat. collata legi 13. C. Mandati.*

23. Quia verba negativa semper negant, & nunquam adfirmant, post Bald. & alios A. Barbosa *in loco argum. h. t. n. 15.* 2. Neque etiam procedit in jure singulari aut privilegiario *gl. in c. licet. 11. de privileg. in 6. Everhard. in topic. legal. loc. 4.* Impri-

24. mis si 3. hoc pacto induceretur correctio juris communis *c. significasti. 18. de foro competent. Everhard. d. l. Barbos. n. 29.*

Quo-

Quomodo 4. sane in praesenti problemate Deus Opt. Max. eo- 30.
dem libro *cap. XX. vers. 21.* indistinctè & generaliter definit,
Turpe factum esse, si frater fratris uxorem ducat. Quæprohi- 31.
bitio cum de superstitis uxore otiosa sit, utique de defuncti vi-
dua erit accipienda: Nisi malimus dicere, Levitici hunc locum 32.
ad specialem illam legem ceremonialem & forensem respice-
re, ut ille casus excludatur, quo frater fratri jubebatur semen
excitare. 5. Lutheri *n. 233.* adducti definitiones quod attinet 33.
jamdudum monuerunt viri pii, atque ipse adeo Lutherus, di-
scernenda esse scripta anteriora à posterioribus. Quemad- 34.
modum enim ipsa Jurisprudencia non uno impetu emerfit,
sed sensim sensimque incrementa cepit (ad Divi Lutheri ver-
ba in praefatione mox alleganda respicimus) Immo quemad-
modum & ipsi Apostoli, cum adhuc in schola Domini essent,
sapius hallucinabantur: Ita emergenti primum ex illis tene-
bris Luthero condonandum, si annis illis prioribus nonnulla
liberius pronunciavit. Sic ipse beatissimus pater petit, rogat 35.
& per Christum contendit in praefat. über den Ersten Theil
seiner Lateinischen Bücher Anno 1549. außgangen / darin er den
Einfältigen oder von bösen Vuben übel beredeten Leser unter-
richtet / wie er sich in seine Bücher des ersten Anfangs richten
soll / weil sie den lezten nirgends gleich seyn / ja oft hin und wie-
der in etlichen Articuli des Pappsts Lehre billigen und recht
sein lassen. Et in §. daher &c. ibi: Wirst du in meinen er-
sten Schrifften und Büchern finden / wie viel ich damahl
dem Pappst nachgelassen / welches ich hernacher vor die schreck-
lichste Gottslästerung und Greuel gehalten und verdammet
habe / und in Ewigkeit gehalten und verdammet haben
wil. (Ergo etiam pseudodiscipulos mussitantes vel con-
traria asserentes) Amen. Sic librorum Jenensium procu- 35.
rator Dn. Nicolaus Ambsdorffius, pientissimus Theo-
logus

logus (qui in *prafat. tom. 1. Ienens.* §. daß das weis ich / &c. ausus est hanc proferre sententiam, Es sey die ärgeste und schädlichste Kezerey so auff Erden kommen ist / daß gute Werck zur Seligkeit von nöhten &c. von *Luthero* durch Gottes Wort gewaltig widerlegt) Is inquam, idem in *d. prafat. tom. 1. Ienens.* §. zum fünfften &c. ibi : Es sind in den Wittenbergischen Tomis die Bücher D. Lutheri nicht nach der Ordnung der Zeit / wie sie der Mann Gottes hat lassen außgehen / zusammen geraffelt / darauß denn viel ihre Meinung (NB. daß man das Papstthumb halten / und sich mit ihm vergleichen solle und müsse) schliessen / und solches vertheidigen wollen / weil der Mann Gottes im Anfang der Sachen viel Papisterey geschrieben und nachgelassen hätte &c. Jungat. §. diß alles &c. Quales protestationes si cucullatus Surius in suis commentariis observasset, non tam sapè diffensum in *Luthero* notasset & calumniatus esset (Atrocius autem peccant, qui Lutherani volunt Theologi salutari, & tamen ejusmodi adversariorū calumniis, quas refutare potiūs debebant, vid. Henric. Wangnerock in *Anti Dorscopart. 1. cap. 3. argum. 8. pag. 108.* ubi nugas istas toties refutatas itidem reprodicit, delectantur) Quinimò capitalem quaestionem de fide Romanensium ex loco toties retractato *tom. 4. Ienens. pag. 320.* nescio quo consilio, quave conscientia definire in tam clara Evangelii luce non verecundantur. Quod scriptum quidem anno 1528. emanavit, adeoque continetur adhuc sub quindecim illis annis rudimentorum *Lutheri*, de quibus ipse iterum candida & notabili retractationis formula sic scribit : In der kurzen Vorrede über den catalogum seiner Bücher / so er von anno 518. biß 533. geschrieben / §. Es were dann &c. ibi : Ich oder vielmehr das Wort Gottes hat viel müssen leiden in diesen funffzehen vergangenen Jahren / ehe es zu Kräfte ist
kom.

Kommen / und wie es zugenommen / und auch ich täglich und
 jährlich weiter und höher darin kommen bin / wie das wol zeu-
 gen die ersten Bücher (darin ich dem Papstthumb viel und fast
 alles nachließ und ehrete) gegen den letzten / welche Christum al-
 lein und rein handeln / und dem Papstthumb nichts nachgelassen.
 Item in der Vorrede auff seine propositiones pag. 5. §. Und da
 ich &c. ibi : Dann ich hielt (damahls) des Papsts Kirchen vor
 die rechte Kirchen &c. jung. jam. §. darumb &c. ibi : Ob ich
 gleich vor dem Papst und seiner Maytt. mich nun nicht mehr
 entseze und fürchte / so muß ich mich doch vor seinem Gott dem
 T. &c. Nullatenus autem doctrinam pontificiæ sedis pro- 41.
 bat, sed quæ de verbo Dei etiamnum in illa Ecclesia supersint,
 siquidem in §. wir schwermen &c. diserte dicit, se separare do-
 ctrinam Christianam, quam Ecclesia acceperit ab Apostolis,
 von des Papsts Teuffelischen Zusatz / verba ita habent : Wir
 schwermen nicht also / wie die Kottengeister / daß wir alles ver-
 werffen / was der Papst unter sich hat (non rejicio omnia, quæ
 sunt in Ecclesia Catholica Apostolica, sc. ex doctrina Aposto-
 lorum relicta) Sondern das fechten wir an / und verwerffen /
 daß der Papst nicht bleiben lassen wil bey den Gütern der Chri-
 stenheit die er von den Aposteln geerbet hat : Sondern thut auch
 seinen Teuffels Zusatz dabey und darüber. Quid ? quod mimi-
 cè & ironicè se ibi loqui aliquoties profiteretur ibidem in verbis :
 Solich auffhören zu heuchlen ? Et paulò post : Kan der Papst
 diß mein Heuchlen leiden ? Genuina autem Lutheri sententia
 integro libello expressa est, cui titulus : Daß das Papstthumb
 auß dem &c. summam libri refert ipse Surius in comment. de
 anno 1545. pag. 405. Quem librum aut ignorare aut dissimulare 42.
 non erat Lutherani Theologi. Sed quo fine & consilio hæc
 talia spargantur, eventus, proh dolor! abunde docet, & u-
 beri-



- berius forte manifestabit. In militia proditorium censetur facinus, si quis militum, nedum Ducum aliis pugnantibus spectatorem tantum agat, & à pugna absteineat Petr. Gregor. *lib. II. de Republ. c. 10. n. II.* Quale ergo illud habebitur, quo tela ex domo propria hostibus suppeditantur? Annon prævaricationi proximum putabit flagitium posteritas, si Theologus Lutheranus captato uno vel altero è scriptis Magistri sui ambiguae sententiae vocabulo, mentem auctoris quam ille alibi toties planissimis verbis expresserat, planè in reprobum sensum perverterit? ἐχεν θεὸς ἐν δίκῳ ὄμμα, cui propediem Reddet gestorum rationem quisque (simulator & dissimulator, truculentus & subdolus) suorum. Certè Dn. Ambsdorffius *in laudata sæpius præfatione §. zum dritten & c. hält gewislich davor / daß der H. Mann D. M. L. dazu sonderlich erwecket sey / daß er den Antichrist zu Rom offenbahren und zu schanden machen solte / sonst würden ihrer viel dem Teuffel und seinem Antichrist & c.*
44. Quæ nos suis quidem relinquimus cathedris, interim illud saltem exinde conficientes: Rectè & planè accommodatè ad superius argumentum & locum à Dn. Consulente objectum respondisse Beustium *de matrimo. cap. 53. §. Concluso. in fin.* Nimirum scripsisse hæc Lutherum in initio repurgatæ doctrinæ & c. Aliorum præjudicia apud Dedekenn. *vol. 3. Conf. pag. 343. & 383.* contrariis eliduntur facile, numero etiam vincente, apud eund. Dedekenn *pag. 349. & locis superius laudatis.* Habes, Lector candide, narrata armamentarii bona fide exscripta, nunc ad eorum examen nos accingemus.
- 45.

CAPUT

CAPUT II.

*Fragilitas argumentorum Dn. Taboris
exponitur.*

INitiò dicit adversarius, nos libenter concedere, prohibi-^{1.}
tum esse matrimonium cum vidua fratris, extra casum
Deuteronomii *cap. XXV. vers. 5.* Sed nos non recte arguere,
quod exinde non sit concludendum ad prohibitionem ma-
trimonii cum defunctæ uxoris sorore, quin potius id jure divi-
no & naturali sit permissum. Diximus, & nostro iudicio re-
ctè diximus, idque argumentis ab Antagonista planè intactis^{2.}
satis probavimus *Resp. n. 345. seqq.* Equidem ad prius effatum,
quòd nimirum ista illatio ab uno casu ad alium non subsistat,^{3.}
sic ille respondet: In utroque casu, matrimonii videlicet cum
vidua fratris & sorore prædefunctæ uxoris eadem militat ratio
& sententia, scilicet hæc, ne quis misceatur carni carnis suæ:
Ergo concludi posse ab uno ad alterum. Verùm principium^{4.}
is petit: Probare enim debebat, eandem in utroque casu esse
prohibitionis rationem (per sententiam eandem militantem
quid dictum velit, nondum capimus.) Viderat enim ex no-
stro Responso, non tantùm id à nobis negatum, sed & dispari-^{5.}
tatem rationum declaratam esse *Resp. n. 346. seqq.* simulque
exactè deductum, in casu præsentè virum non misceri carni
carnis suæ, vel proximæ carnis suæ, neque, quod idem est, soro-
rem defunctæ uxoris esse carnem carnis, in respectu superstitis
viri, quippe quos inter mera sit adfinitas, nulla sanguinis aut
carnis conjunctio. Et quando maritus & uxor una caro ap-^{6.}
pellantur, id per fictionem juris fieri, non ex rei veritate, nec



- propriè sed impropriè, eamque juris fictionem nec ad alium casum extendi, nec aliam ex ea fictionem fieri posse, neque Moſen in veteri testamento, neque in novo Servatorem aut Apostolum dicere conjuges esse unam eandemque numero carnem, sed illos esse in carne una, vid. Resp. n. 379. usque 406.
7. Ad quæ cum Antagonista nihil reposuit, stant ea contra hunc armorum strepitum firma ac immota, quicquid is etiam gloriatur in suis ad Collegium Argentoratense adnotationibus lib. 23 tit. 2. n. 13. fol. 19. ad rationes nostras facilem esse responsionem ex præmissis, scilicet quod concessio hoc matrimonio viderentur fratres ac sorores matrimonio conjungi, propterea quod jure divino & naturali vir & uxor unum corpus & una persona censeantur. Non enim procedit hæc illatio: Jus divinum (an idem fingat jus naturæ nemo adhuc probavit) fingit, Conjuges esse carnem unam: Ergo etiam fingit, eos esse unam numero personam. Uti neque hæc sana sequela est: Ex fictione juris vir & uxor sunt una caro: Ergo etiam ex eadem fictione Sororius & uxoris soror sunt caro carnis, cum uti probavimus, fisiones juris de uno ad alium casum non extendantur. Quinimò optima ratione sustinere possumus, ex hac causa, quâ carnem carnis ducere prohibemur, ne quidem prohibitum probari posse matrimonium cum vidua fratris, cum nec inter fratrem & fratris viduam ejusmodi proximitas intercedat, quæ carnem carnis constituere apta sit, sed mera ibi sit adfinitas: Quod si quis contra juris & rectæ rationis principia negaverit, næ illi incumbet adfirmantem suam contradictionem ritè probare: Nec enim quemquam ita felicem arbitramur, qui causam hanc, prohibitionem nempe de carne carnis non ducenda factam, esse generalem, & reliquas Levitici prohibitiones tanquam species suo amplexu comprehendere pro-

probaturus sit. Veram autem hujus prohibitionis causam in
 Dei Legislatoris voluntate rectè ponimus. 13.

Deinde aliud nobis argumentum opponit adversarius, 14.
 Auctoritatem scilicet Ecclesiæ orthodoxæ, in qua sententiam
 contrariam receptam autumat. Nec verò mirum est mili- 15.
 tem ad hoc asylum refugere, qui telum, quo armatum hostem
 repellat, in armamentario non habet. Sed quid per Eccle- 16.
 siam suam orthodoxam intellectum velit, id clariùs dicere de-
 bebat, hoc enim dictum qui vis lector vix capiet. Si Theolo-
 gos & Doctores pro contraria opinione sudantes intelligit,
 tum dubio procul illi ipsi pro sua prudentia negabunt, se con-
 stituere Ecclesiam orthodoxam. Sed habeat illos autor ci- 17.
 tra jacturam veritatis pro Ecclesia orthodoxa; Nunquid Ec-
 clesia hoc poterit efficere, ut id quod in lege Dei non reperi-
 tur, tamen in ea reperiatur? Seu, quod eodem recidit, ut idem
 sit & non sit, contra prima rectæ rationis principia? Ecclesia
 nunquam credidit aut credendum proposuit, Deum & natu- 18.
 ram prohibuisse matrimonium cum defunctæ uxoris sorore;
 Quin potius Ecclesia admisit, non irritum pronunciavit tale
 matrimonium, cum à clero tantum arceretur sororem defun-
 ctæ uxoris ducens, *Canon. Apostol. 18.* Et quinquennium à com-
 munionem abstinere juberetur, manente vinculo conjugii, Con- 19.
 cil. Elberin. *can. 60.* Absit autem, ut dicamus in Ecclesia Chri-
 stiana antiqua receptam esse sententiam legi divinæ contrari-
 am, & admissum matrimoniū divino ac naturali jure damna-
 tum! Quia itaque ista prohibitio in verbis aut sensu legis Mo- 20.
 saicæ non continetur, secus enim vel absolutè absque omni re-
 strictione ac mentione vitæ aut mortis connubium cum sorore
 uxoris prohibitum, vel ita dispositum ac constitutum esse
 debebat: Non debes ducere defunctæ uxoris tuæ sororem:
 neque



- neque etiam illatio à prohibitione matrimonii cum viventis uxoris sorore, ad prohibitionem cum defunctæ uxoris sorore sustineri potest, uti hoc à nobis abunde est probatum & recta ratio cuius sensu communi non destitudo id dicitur; certè singularium Doctorum, potestatem nobis quidvis credendum obtrudendi non habentium opinio pro sententia totius
21. Ecclesiæ orthodoxæ venditari non potest. Concidit itaque argumentum, quo per autoritatem Ecclesiæ ille docere conatur, hoc matrimonium jure divino & naturali esse prohibitum, ita inferendo: Ecclesia orthodoxa non improbat sententiam jure divino & naturali permissam. Sed illa improbat hanc sententiam. Ergo ea sententia jure divino ac naturali
22. non est permissa. Quis enim non sentit, hoc argumentum in mera elenchi ignoratione consistere? Nam quæstio non est de
23. aliqua sententia jure divino ac naturali permissa (quamvis vix adsequi liceat, quale ens sit sententia jure divino ac naturali permissa) sed de matrimonio permissio; Quod utique tantum abest à sententia seu propriè seu impropriè accepta, quantum
24. quid maximè. Et verò nos nullibi adserimus, sententiam siue opinionem hanc, quod matrimonium cum defunctæ uxoris sorore lege Mosaica prohibitum sit, jure divino aut naturali esse permissam: Sed ipsum hoc matrimonium jure di-
25. vino ac naturali non prohibitum, sed permissum esse. Jam si quis ita velit arguere: Ecclesia orthodoxa nullum improbat matrimonium, quod Deus & natura permisit; nemo non sentiet, hanc adseritionem prorsus esse falsam. Namque consti-
26. tutiones in Ecclesia orthodoxa factæ & receptæ plures nuptiarum species improbarunt, quas nec Deus nec natura improbat, sed permisit, & concessit, id quod nemo diffitebitur, qui novit matrimonia consobrinorum, & inter ulterioris gradus cogna-

cognatos & adfines à Deo & natura concessa ac permiffa ab Ecclesia orthodoxa per legem positivam esse prohibita & improbata. Quâ itaque fide nobiscum agat armamentarium Justiniani, cum hunc nobis formatum quæstionis statum adfingit: Quod scilicet Ecclesia orthodoxa improbet aliquam sententiam jure divino ac naturali permiffam, id facile intelligent omnes candidi.

27.

CAPUT III.

Examen Confutationis Dn. Taboris.

Nunc examinanda sunt fundamenta adversarii, quibus argumenta nostra confutando, hanc suam conclusionem stabilitum ire conatur: Quod videlicet rationes nostræ pro matrimonio cum uxoris defunctæ sorore tanti non sint, ut à sententia ipsius contraria, quam Ecclesiæ orthodoxæ adscribit, quemquam debeant dimovere. Videbimus quo successu. Dicimus hanc quæstionem, an Deus in lege Mosaica prohibuerit hoc matrimonium? in facto consistere & facti esse, id quod non vult concedere adversarius, & autumat istam quæstionem non esse facti, sed juris, quod thema sequenti capite seorsim tractabimus, ubi evidenter constabit, per hanc adversarii contradictionem non fulciri ipsius conclusionem de rationum nostrarum debilitate propositam. Ea verò, quæ hoc fine à nobis deducta sunt, nimirum omnia ea, quæ à Legislatore non sunt expressis verbis prohibita, promissis ac permiffis esse habenda, firmo stant talo, adeò ut vel ipse adversarius alio loco, ubi ab affectibus fuit vacuus, hanc nostram roboret adsertionem, cum sive ipse, sive ex analectis ipsius alius docet, permiffa censeret omnia, quæ non sunt prohibi-

C

hibi-



- hibita, & quod non reperitur à lege prohibitum, non debere
 superstitiosis prætensionibus præsumi prohibitum; *Thesaur.*
 4. *locor. commun. verb. permissum axiom. 2.* Deinde ex ipsis le-
 gis divinæ verbis modificatis & modificantibus *neben jhr / jhr*
zu wider / weil sie noch lebet / quàm evidentissimè demonstravi-
 mus. Respons. n. 176. usque 227. seqq. Istam prohibitionem
 tantùm pertinere ad sororem uxoris viventis, & inducere
 5. permissionem in sorore uxoris defunctæ. Hanc nostræ de-
 cisionis rationem adversarius per ironiam vocat subtilitatem,
 quàm facile putat eludi posse contrariâ quæstionis informa-
 tione. Verùm quis sit iste modus quæstionem aliquam con-
 trariâ quæstionis informatione eludendi, id rectè & informa-
 6. disputantibus hætenus fuit occultum. Negat ille, hunc in-
 finem ullibi in jure divino generaliter sive universaliter omni-
 bus hoc matrimonium esse permissum. Tacitè igitur, & per
 pronam consequentiam concedit, hoc matrimonium esse
 permissum sed tantummodo specialiter & singulariter aliqui-
 bus. Hæc limitatio & restrictio ipsi erat probanda, si ei fidem
 facere volebat; At quomodo eam probabit? Si dixerit, hoc
 7. matrimonium cum defunctæ uxoris sorore tantùm Judæis
 esse permissum, sibi ipsi contradicet, planè enim negavit ma-
 trimonium hoc esse permissum, aut verba ista modificantia
 8. illud inferre. Quin quod prohibitiones omnes Levitici *cap.*
XVIII. non esse forenses aut ceremoniales, hoc est ad solos Ju-
 dæos pertinere, sed universales & morales, adeoque omnium
 hominum ac temporum, & ità immutabiles esse docuerat.
 9. Et quâ tandem ratione probare poterit, hoc matrimonium
 permissum esse specialiter & aliquibus tantùm, de cujus per-
 missione saltem ex intermissione prohibitionis constare po-
 10. test? Si replicaverit se loqui de connubio inter fratrem & fra-
 tris

tris viduam, tum extra rhombum locutus est, & secum ipse
 pugnat, non nobiscum, qui hoc in casu ipsi nunquam contra-
 diximus, nec tamen interim concedimus, hoc matrimonium
 omnibus hominibus per legem naturæ esse prohibitum. Por- 11.
 ro imbecillitatem nostrarum rationum exinde Lectoribus su-
 is inculcat, quod jactitat, se suprâ abundantissime ex veteri &
 novo fœdere istam prohibitionem probasse. Verùm ubi hoc
 præstiterit, locum non indicat: Quod si ad istam probatio- 12.
 nem trahit textus à se citatos *Levit. cap. XVIII. vers. 16. & cap.*
XX. vers. 21. & ex *Luca cap. III. vers. 19.* profectò exinde nihil
 minus quàm hujus matrimonii prohibitionem probavit.
 Præterquam enim quod in Levitico sit sermo de prohibito 13.
 cum vidua fratris matrimonio, & in textu Lucæ non de nupti-
 is cum fratris defuncti vidua, sed de raptu uxoris fratris adhuc
 viventis, qui casus huc non quadrant, id quod in Resp. nostro
sub num. 470. abunde dedimus probatum, quantopere id et-
 iam dissimulet adversarius, nullum certè juris textum sive ex
 vetere sive ex novo testamento de prohibitione matrimoni
 cum defunctæ uxoris sorore produxit. Textum generalem 14.
Levit. cap. XVIII. vers. 6. quod spectat, ubi dicitur, Neminem
 ducere debere carnem carnis suæ, Niemand solle sich zu seiner
 negsten Blutfreundin thun ihre Scham zublößen / ut Lutherus
 recte interpretatus est, is nisi violentissimè detorqueri non po-
 test ad casum nostrum, ubi quis non ducit carnem carnis suæ,
 heyrachtet einer seine negste Blutfreundin nicht / sed ad finem si-
 bi jungit, quæ caro carnis negste Blutfreundin dici non mere-
 tur, uti deduximus in Resp. *num. 367. usque 377.* Stant itaque
 & adversus hoc telum rationes nostræ fixæ & immotæ.

Denique per argumentum à sensu contrario inductum 15.
 hæc nuptias concessas esse liquidò probavimus hoc modo:

- Quod expressè à lege prohibitum est fieri cum viventis uxoris sorore, illud ex mente legis contraria concessum est fieri cum defunctæ uxoris sorore. Nec enim facilè aliquod datur argumentum validius in jure, quàm id, quod à contrario legis sensu deducitur. Respons. nostro n. 224. seqq. Periculum quidem
16. facit adversarius, sed frustra, declinandi hoc argumentum. Nam quamvis neget, verba illa restringentia & modificantia *neben ihr / ihr zu wider / weil sie noch lebet /* posse ad contrarium sensum inferendum genericè allegari, quæ per se obscura locutio vix potest apprehendi; nullam tamen sufficientem hujus suæ negationis rationem adducit, ideoque non opus est ipsi cæco impetu assentiri quàm verò elumbia sint argumenta ejus rei causâ adducta, id jam patebit.
17. Primò dicit rationem argumentandi à sensu contrario non procedere in dispositione negativè concepta, quod probare conatur *per l. 4. C. de pericul. tutor. & Curator. junctâ*
18. *l. 13. C. Mandati.* Verùm hi textus juris nihil ad hanc rem faciunt, cum in altero dicatur, Tutoribus & curatoribus fortuitos casus, adversus quos caveri non potuit, non imputari: In altero autem disponatur, à procuratoribus improvisum casum præstandum non esse. Sed quis inde colliget, quod
20. in dispositione negativè concepta non valeat argumentum à sensu contrario? Quin potius in his ipsis textibus locum habeat argumentum à sensu contrario, Quod scilicet & tutor & procurator casus non fortuitos, ex dolo seu culpa ipsorum provenientes utique præstare teneantur. *jurib. vulgat.* Doctores istam propositionem sustinentes loquuntur in terminis contractus & aliis extra legem, uti videre licet ex traditis Everhard. *loco. legal. §2. à contrario sensu.* Cacheran. *pedemont. decis. 79. num. 28.* quorum rationes improbat & evertit Everh.
21. *d. n.*

d. n. 26. post Alexand. à se citatum, per textum *l. si quis ita. 13. §. fin. ff. de statuliber.* quæ expressè admittit argumentum à sensu contrario tam in negativa quam affirmativa dispositione. Quam verò imbecilli, nedū falso principio ac ratione nitatur ista Dd. adfertio, cum dicunt, verba negativa semper negant, nunquā affirmant, id facile judicabit, qui novit, verba negativa formaliter quidem & explicitè negare, virtute tamen implicite ac materialiter non raro etiam quid affirmare. Possent sexcentis exemplis hæc res patefieri, si in luce tam clara tenebræ essent metuendæ. Ipse Jctus Julianus *in d. l. 13. §. fin. ff. de statut. liber.* testatur hanc scripturam, Stichus si decem non dederit liber ne esto, hanc vim habere, Stichus si decem dederit, liber esto. Addimus exemplum in casu simili; Lex quæ hodie dicit, Nemo debet ducere aliam uxorem, quamdiu prior uxor vivit: ea ipsa in sensu contrario affirmat, duas uxores successivè, & alteram post alterius fatum duci posse. Dicat quis, Johannem non esse virum malum, nunquid is virtualiter affirmat, Johannem esse virum bonum? Hinc vanitas consequentiæ se ipsam prodit, cum ita colligunt nonnulli: Verba negativa semper negant, nunquam affirmant. Ergo in dispositione negativè concepta non est locus argumento à sensu contrario. Quin ex ista ratione etiam non procedit hoc argumentum in dispositione affirmativè concepta: Quia verba affirmativa semper affirmant, nunquam negant. Ità nullo casu valebit hoc argumentum, in quo tamen excolendo tantum operæ adhibuere Philosophi & Jcti. Aut igitur illi omnes absurda & inutilia docuerunt, aut absurdus erit, qui negat in dispositione negativè concepta locum esse isti argumento. Prius nemo eruditorum crediderit, posterius itaque vix ullus diffitebitur. Equidem non ignoramus inter alios Dd. etiam Johan. Petr.



- Surdum in suo de alimentis tractatu tit. 6. quest. 15. n. 7. ita crudè locutum, Argumentum à sensu contrario sumi non posse in dispositione negativa : Sed ille juxta cum aliis in casibus valdè singularibus, in quibus seu alia constitutio seu præsumtio juris contrariam sequelam prohibet, loquuntur : Nimirum si ex actu aliquo affirmativo effectus negativus sequitur contra juris præsumtionem ; tum enim non licet arguere, quod ex actu negativo sequatur etiam effectus affirmativus. Exem-
31. pli causâ, quod Surdus *d. l.* adfert : Administrator bonorum pupilli, qui impensas in alimenta pupilli factas scribit in libro rationum, non præsumitur eas donare : Exinde non possum inferre per sensum contrarium, Qui non scribit illas impensas in libro rationum, videtur eas donare. Verùm defectus hujus sequelæ non venit ex eo, quod propositio prior negans est, sed exinde, quod affirmanti contrariæ resistit ipsum jus, quod hoc casu non admittit præsumtam donationem, quippe quæ non præsumitur ex scripture impensarum vel ejus omissione, sed ex animo donandi seu scribentis seu non scribentis :
32. Quoties enim quis dat qui bona administrat alterius, toties eum non donare jura præsumunt. Post Bald. *in l. ult. n. 13. C. de dot. promiss.* Joseph. Mascard. *de probatione conc. 554. num. 19.*
33. Ideoque hæc argumentandi ratio in hoc casu induceret correctionem alterius juris, quod donationem non præsumit ubi alia conjectura est, quàm donatio *l. cum de indebito 25. in pr. ff. de probation. l. si cum aurum. 50. ff. de solut.* Quando verò ex hoc argumento correctio alterius juris proficiscitur, non procedit ratio ejus argumenti, Everhard. *d. loc. n. 8.* Secunda ratio, qua ille casu nostro cessare vult argumentum à sensu contrario, hæc est, quod id non procedat in jure singulari & privilegiario, quo sine adducit Everhard. *loc. legal. 4.* Verum uti Ever-
- verhar-

verhardus in hoc loco nihil hac de re, sed de argumento ab E-
 tymologia desumpto agit: Ità hæc limitatio & restrictio nostro
 casui planè non quadrat. Quid enim huic legi Mosaicæ com- 37.
 mune est cum jure singulari & privilegio? Probat prius adver-
 sarius hanc legem de non ducenda sorore uxoris viventis esse
 jus singulare & privilegiarium, deinde applicet suam limita-
 tionem, quod vix præstabit, cum recordatur se toties inculcas-
 se, hanc legem universaliter & omnibus positam esse. Ter- 38.
 tiam rationem ipsi concedere possumus in thesi propositam,
 quod non procedat hoc argumentum, ubi correctio juris com-
 munit per illud inducitur: Sed in nostra hypothesis negamus,
 per hoc argumentum Jus commune correctionem pati.
 Etsi enim hodie jus commune humanum est in contrarium, 39.
 tempore tamen Mosis & hujus legislatoris nullum jus contrari-
 um erat, quo nuptiæ cum defunctæ uxoris sorore prohibe-
 bantur. Nec verò per concessum cum defunctæ uxoris so- 40.
 rore matrimonium corrigitur lex *Levitici cap. XX. vers. 21.* ubi
 prohibetur matrimonium cum fratris uxore: Sed utrumque,
 tam concessio nuptiarum cum defunctæ uxoris sorore, quam
 prohibitio conjunctionis cum uxore fratris absque omni cor-
 rectionis periculo consistere possunt. Nec enim sequitur ulla 41.
 ratiō: Nuptiæ cum fratris uxore sunt prohibitæ: Ergo et-
 iam cum defunctæ uxoris sorore; cum in Legislatoris pote-
 state esset alterum matrimonii genus permittere, alterum
 prohibere, & hæc duo nuptiarum genera invicem multum
 differant, uti jam supra est demonstratum. Quemadmodum 42.
 & hæc sequela vehementer vacillat: Nuptiæ cum defunctæ
 uxoris sorore sunt concessæ. Ergo correctæ est prohibitio ma-
 trimonii cum fratris uxore, per jam datam rationem, & quod
 Lex & dispositio corrigens subsistere debet in terminis legis 43.
 corre-

- correctæ ; Quod enim per legem corrigentem expressè non est correctum, illud in terminis suis adhuc manere intelligitur, ipso adversario rectè docente, apud Sams. *thesaur. locor. commun. verb. Correctiv. axiom. 8. & 10.* Insuper qui potest contingere, ut lex alia aliam simul & eodem tempore latam corrigat? Notū est ex jure à legibus posterioribus corrigi priores, non contrà vel illas vel simul latas à prioribus vel simul promulgatis, id quod latiùs hoc loco deducere non est pretiū operæ. Nemo autem negabit, hanc de non ducenda viventis uxoris sorore legem unâ cum illa de non ducenda fratris vidua simul & eodem tempore esse latam.
45. Turpitude, quam metuit adversarius ex matrimonio cum vidua fratris, non venit ex jure naturæ, sed ex mero jure positivo; secus enim eandem turpitudinem Deus, quod absit, admisisset in eodem matrimonio propter excitandum fratri
46. semen non modo concessio, sed seriò mandato: Quod enim natura turpe est, id ex eo, quod ad legem ceremoniam vel forensē pertinet, non potest fieri non turpe aut honestum, Resp. nostro n. 440. *seqq.* Hugo Grot. *de jur. belli & pac. lib. 1. c. 1. n. 19.* Itaque non potest, adversarius itâ arguere: Matrimonium cum vidua fratris (extra casum Levit. XX. *vers. 21.*) propter legem positivam latam est turpe: Ergo matrimonium cum defunctæ uxoris sorore, lege positivâ de eo non existente etiam est turpe. Quodnam enim matrimonium (extra illa quæ lege naturæ turpia sunt) turpe esse vel pro tali haberi debebat apud Judæos, hoc in mera ac sola Dei legem ferentis potestate situm erat, nec ulla ratio ab ipso postulanda, quare illud matrimonium pro turpi, hoc non pro turpi haberi voluerit.
49. Otiosum autem erat monere, prohibitionem Mosaicam non

non de fratris viventis uxore, sed de ejus defuncti vidua esse accipiendam: secus enim mulieri contra jus naturæ permitteretur duobus simul viris nubere. At verò exinde ne quidem 50. potest argumentum duci ad uxoris viventis sororem, cum hoc casu non mulier, sed vir bigamus fiat, cui duas aut plures uxores simul ducere non erat interdictum, sed concessum, quod non tantum Davidis & aliorum virorum sanctorum exempla declarant, sed & ex ipsa lege *Deuteron. cap. XXI. vers. 15.* per bonam consequentiam deduci potest. Quin quod ipse Deus Opt. Max. totius naturæ autor benedictioni suæ impunitat, quod Davidi plures & illustres uxores dederit. *II. Samuel. cap. XII. vers. 8.* vid. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 5. n. 9.* Unde etiam ante legem Mosis duas simul sorores in matrimo- 15. nii consortio habere non fuit nefas, quod vel Israël's exemplū comprobat. Quod si igitur in rationem hujus legis à Deo 52. positæ inquirere licet, non absurdum dici existimamus, Deum Opt. Max. polygamiam cum duabus sororibus in hac lege ob hanc causam prohibuisse, ut evitaretur invidia & odium inter sorores, quale erat inter Leam & Rahelem uxores Jacobi.

Tandem adversarius auctoritatem Lutheri adortus per 53. illum ipsum Lutherum pessumdare conatur. Non quidem diffitetur, Lutherum loco à nobis citato pro nobis nostraque stare sententia, sed postea eam deseruisse & opinionem contrariam amplexum docuisse eum autumat, quod matrimonium cum defunctæ uxoris sorore in lege divina sit prohibitum. Argumenta adversarii bona fide dabimus examinata. Pri 54. mum hoc est; Discernenda esse scripta Lutheri anteriora à posterioribus, in his enim ipsum plura revocasse, quæ in illis con- 55. cesserit. Arripimus illam scriptorum Lutheri separationem, sed non nisi in illis capitibus, in quibus Lutherus initio erravit

D

in do-

in doctrina, & postea errorem agnovit atque correxit. Ubi autem hoc non fecit, ibi ista scriptorum separatione non est opus, sed potius dicendum, Lutherum in priore & semel propofita sententia constantem mansisse, quod ipse fortè adversarius

56. non ibit inficias. At verò erat probandum, Lutherum falsum docuisse, aut saltem errasse, cum adsereret, matrimoniū cum defunctæ uxoris sorore in lege Dei esse concessum, non prohibitum: Sed de eo in armamentario altum est silentium. De-

57. inde illi incumberebat demonstrasse, Lutherum in hoc negotio ullum unquam errorem à se commissum agnovisse, eumque postea correxisse: sed neutrum fecit, nisi quod tantummodo aliquot consequentias nexuit ex generalibus nonnullis Lutheri adsertionibus ad hoc negotium non pertinentibus. Stat igitur Lutheri pro nobis adducta autoritas firma & inconcul-

58. sa. Equidem Lutherus agnoscit & fatetur, se in libris suis prioribus Pontifici nonnulla concessisse, quæ postea uti falsa & blasphema ipse condemnaverit & pro condemnatis haberi velit. Esto hoc, quod facile largimur. Sed nunc adversarii erat mon-

59. strare locum, ubi Lutherus hanc suam sententiam, de matrimonio cum defunctæ uxoris sorore contracto, uti falsam & blasphemam damnaverit & damnatam ab aliis voluerit haberi. Quod quia non fecit, nihil fecit. Nec enim sequitur; Lu-

60. therus multa priora uti erronea revocavit: Ergo omnia priora uti talia revocavit: aut, Ergo & hanc sententiam ita revocavit & damnavit. Semel stultos appellat contrariæ sententiæ adsertores, idque nullibi revocavit, aut uti erroneum damnavit Lutherus. *vid. Resp. nostr. num. 233. 487. seqq.*

62. Alium Lutheri textum ab adversario citatum quod spectat, videlicet ubi Lutherus ait, se non rejicere, quæ ab Apostolis relicta in Ecclesia pontificia remansere, sed ea tantum quæ Pon-

Pontifex de suo extra verbū Dei, Dei verbo adjecerit; Certè ille nobis opponi nō potest, quippe ex quo nemo deducet, quod matrimonium cum sorore defunctæ uxoris in lege Dei prohibitum sit, vel saltem Lutherus revocatâ & condemnatâ suâ sententiâ unquam dixerit, istud matrimonium in lege Dei esse prohibitum. Siquidem Pontifex Romanus aut Ecclesia pontificia ejusvê Doctores hoc non adjecerunt verbo Dei, quod matrimonium cum defunctæ uxoris sorore sit concessum; Sed tantūm in eo nobiscum & cum Luthero, imò cum ipso legis divinæ textu benè consentiunt, hoc matrimonium in lege Mosaica non esse prohibitum sed concessum. Insuper hæc quæstio, An Deus hoc matrimonium in lege Mosis prohibuerit aut concesserit, in mero facto consistit, cujus veritas ex Pontificis affirmatione vel negatione non dependet, sed ex ipsa textus inspectione est patefacienda. Et si tandem Lutherus aliud adseruisset, nemo certè teneretur ipsi hac in re adstipulari contra veritatem historicam & sensum ocularem. Quin & Lutherus non opus habebat in gratiam Papæ concedere hanc propositionem, quod matrimonium istud in verbo Dei sit concessum, cū vel ipse Pontifex non concedat ejusmodi matrimonium impunè contrahi, sed illud in canonibus suis expressè prohibitum nunquam nisi per dispensationem admittat. vid Resp. nostr. num. 18. seqq. 500. seq. Hoc verò non pro Papa, sed contra ipsum docuit Lutherus, non opus esse dispensatione Pontificis pro nummis impetranda, ubi Deus non prohibuit nuptias contrahendas. Reliqua ex Luthero & Ambsdorffio probata heterogenea sunt & impertinentia, quæ responsionem non merentur. Hoc saltem præteriri non poterat, minus accommodatè vel à Beustio (cui aliàs laus sua non est subtrahenda) vel à quovis alio responderi ad autorita-



tem Lutheri hoc in negotio adductam ; Nimirum scripsisse hoc Lutherum in initio repurgatæ doctrinæ. Ex quâ tandem responsione illud exstruendum venit, quod omnia rejicienda sint, quæ Lutherus in initio repurgatæ doctrinæ scripsit ; aut ex præmissis particularibus conclusio erit facienda, contra doctrinam & veritatem Logicam in recta ratione fundatam. Numerum Doctorum contra docentium eorumque præjudicia ab adversario producta non moramur, cum veritate & rationibus destituantur Resp. nost. n. 286. seqq. 298. seqq. 483.

71. Quod verò adversarius occasione hujus quæstionis, quæ extra articulos fidei est, nos & nostram sententiam probantes Theologos criminari voluit, ac si pontificiorum calumniis, quas refutare potius debebant, delectentur, & hostibus tela ex domo propria non sine prævaricationis flagitio suppeditent, nec non captato uno vel altero è scriptis Magistri sui ambiguae sententiæ vocabulo, mentem autoris, quam ille alibi toties planissimis verbis expresserit, planè in reprobum sensum pervertant, id non procul à calumnia est, quam in autorem recidere nemo dubitabit, qui ex deductis viderit, illum à nobis non lacessitum, nihil ejus contra nos probasse, quo vel ipsius sententia confirmari aut nostra subverti possit.

72. Ad quæstionem de necessitate bonorum operum loco planè alieno interjectam non opus est respondere, cum nec ad causam, nec ad forum nostrum pertineat. Sufficit hodie pueros & puellas ex primis fidei nostræ rudimentis necessitatem bonorum operum à Deo toties inculcatam & præceptam ab ipsorum merito rectè posse secernere, quod si Ambsdorffius potuisset, non ita turpiter in re tanti momenti hallucinatus fuisset.

CAPUT IV.

Prohibitio hujus matrimonii à Mose facta an ad facti vel juris questionem pertineat?

Jam detegendus est crassus & affectatus ille error, quem
 errat adversarius, cum hanc questionem negat esse facti,
 & ex rationibus prorsus alienis juris questionem esse con-
 tendit: An scilicet in Jure divino seu lege Mosaica prohibitum
 sit matrimoniū cum defunctæ uxoris sorore. Nos in Respon-
 so nostro super hujus matrimonii contingentia in lucem e-
 missio diximus, istud matrimonium à Deo in lege Mosaica non
 esse prohibitum, ex hac ratione, quod talis prohibitio in lege
 Mosaica non inveniatur. Utrum hæc nostra ratio veritate nita-
 tur, an minus, id ex ipsa textus legis divinæ inspectione est deci-
 dendum, ita ut si quis contradictoriam sustinere velit, illum
 demonstrare oporteat sensu oculari, quod ista prohibitio ex-
 stet in lege Mosaica, hoc enim inmero facto consistere, ideoq;
 probandum esse ab affirmante. Hanc nostram conclusionem
 negat adversarius, eamq; ad questiones juris referre conatur;
 Verba ipsius recensuimus *supra cap. i.* quæ pauca quidem, sed
 æquivocationibus abundantia sunt. Initiò enim confundit
 has duas inter se distinctas propositiones: In Jure aliquid pro-
 hibitum esse, & Jure sive justè aliquid esse prohibitum. Quan-
 tum verò altera harum propositionum ab altera distet, id cui-
 libet eruditorum obvium operosè explicare supervacaneum
 est. Nos non quærimus, an jure sive justè Moses in Jure divi-
 no, sive in lege divina (ita enim vocem Juris hoc loco usurpa-
 re oportet) prohibuerit hoc matrimonium; Id quod vel ad-
 serere

ferere vel inficiari opus non erat : Sed hoc est in quaestione :
 An ullus sit locus apud Moſen, ulla lex, ulla constitutio, quo
 quave ejusmodi prohibitio contineatur ? Sive, quod eodem
 recidit, an Moſes hanc prohibitionem fecerit in lege ex man-
 6. dato Dei à se scripta & promulgata ? Quod hæc quaestio non
 7. de jure sed de facto sit, ex sequentibus fiet apertum. Nemo
 sanus inter eruditos dubitat, hanc quaestionem, an quis hoc
 vel illud fecerit, esse quaestionem facti. Verbi causâ : An Im-
 perator Justinianus, aut alius Legislatoꝝ hanc vel illam legem
 fecerit ? An hunc vel alium actum in aliqua lege prohibue-
 8. rit ? An, nostro casu, Moſes matrimonium cum defunctæ u-
 xoris sorore damnaverit ? Has verò quaestiones esse juris : An
 hic vel ille Legislatoꝝ legem jure fecerit ? An jure hoc vel
 illud prohibuerit ? An licitum sit matrimonium inire cum de-
 functæ uxoris sorore ? In illis enim quaestionibus de facto, in
 his autem de jure seu de justitia facti quaeritur. Quæ per se fa-
 9. cilia nemini non obvia sunt. Nos equidem in nostro Respon-
 so hanc principalem quaestionem proposuimus & ventilavi-
 mus, An licitum sit uxoris sororem ducere ? Verum eam
 nunquam diximus esse quaestionem facti : sed argumentum,
 per quod illam quaestionem affirmavimus, adversarius nega-
 vit, scilicet an lex de prohibitione istius matrimonii à Moſe la-
 ta sit ? scripsimus in facto non in jure consistere. Quid verò
 10. ad hoc Antagonista ? Primo opponit nobis Rescriptum Imp.
 Alexandri in l. *Voluntatis quaestio. 7. C. de fidei commissis*. Sed ea
 nec ipsi prodest, nec nobis nocet : Cùm in illa nihil dicatur
 præter id, quod voluntatis defuncti quaestio sit in æstimatione
 Judicis, hoc est, Interpretatio ultimæ defuncti voluntatis spe-
 ctat ad Judicem. At quis inde elicit, hanc quaestionem, An
 Moſes prohibuerit hoc matrimonium ? Juris non facti esse ?
 11. Nec magis ipsum juvat Imp. Diocletiani & Maximiniani Re-
 spon-

sponsum in l. Ex verbis. 14. C. de donat. int. vir. & uxor. & Scævola in l. Seja ex parte, 20. §. fin. ff. de instruct. & instrum. legat. Ibi enim tantummodo dicitur, de voluntate defuncti quæstionem non in jure sed in facto consistere. Unde nemo colliget, quæstionem nostram non esse facti, sed juris. Quin 12. potius rectè argumentum ex his legibus in adversarium retorqueri, & ex eadem ratione inferri poterit, Voluntatem Legislatoris hoc vel illud præcipere vel prohibere volentis non in jure sed in facto consistere: Quid verò per hoc sibi vult adver- 13. sarius, quod quæstio facti non ad Jctos, sed ad Rhetores & Judices pertinet? Si hoc, quod Jcti non sit, investigare, an Legislator hanc vel illam legem condiderit, hoc aut illud in aliqua lege concesserit vel prohibuerit, profectò nihil dici poterat ineptius. Quin è contrario nemini magis incumbat scire, an Legislator hanc vel illam legem fecerit, quam Jcto, inde enim ipsi jus discendum erit, quod applicare facto alicui velit.

Opinatur porrò adversarius hanc fallere sequelam: Du- 14. bitatur utrum factum aliquod jure sit decisum: Ergo hanc quæstionem non esse juris. Sed nulla hic falsitas sequelæ est: 15. Cùm enim dico, me non credere, aut negare hanc quæstionem in Jure esse decisam, quid aliud me dico non credere aut negare, quàm ejusmodi decisionem in jure seu lege aliqua esse factam? Non itaque ago de juris, sed facti quæstione, quò casu affirmans hanc quæstionem in jure decisam esse probare tenetur: l. ab ea parte §. ff. de probationib. Atqui jus certum non 16. probatur, sed tantummodo factum dubium & incertum. Wesenbec. parat. ff. de probationib. n. 7. Quamvis autem hoc 17. ipso, quo ratio legis constitutæ in facto Legislatoris consistens probatur, etiam per consequentiam & in effectu jus ipsum probari dicatur: Ista tamen non est directa juris probatio, sed quo.

quoties jus incertum & negatum probari desideratur, toties illud non quatenus tale, sed quatenus facti quid, sub hac consideratione, an jus vel lex talis lata sit, probandum est, tunc enim in speciem quaestionis facti incidit, rectè docente Bachovio *in notis ad parat. Wesenbec. ff. de probation. n. 7. & in animadversionib. ad Treutler. vol. 2. disp. 4. th. 1. lit. B. ad fin.*

18. Æquè autem jejuna est adjecta ratio, quâ dicitur hoc casu nullatenus quæri de aliquo facto, an ita contigerit ut narratur; sed de jure, an jure communi prohibitum vel permissum sit. Namque contrarium est verum. Dicat enim aliquis, hoc factum esse prohibitum in ista lege: Alius autem dubitet de eo: Tum utique quaestio est, an ita contigerit, ut narrat adversarius, scilicet quod istud factum in hac lege sit prohibitum à Legislatore.
19. Nec verò sufficit ad formandam juris quaestionem, ut in ea contineatur vox Juris: Exempli gratiâ: si quærat, an in hoc vel illo jure, hoc est, lege vel constitutione aliquid contineatur nec ne: Sed utique requiritur, ut quaestio fiat de ipso jure, sive de eo quod justum vel injustum esse dicitur.
20. Unde & falsitas hujus propositionis patet, quod nimirum, si quærat, an jure communi, sive in legibus istis, quæ juris communis appellatione veniunt, aliquid sit prohibitum, tum de jure & non de facto quærat. Nam utique hæc mera facti quaestio est. Potest enim quis alio negante adserere (quod adversarius in casu præsentis de lege Mosis facit) in jure communi existare prohibitionem de matrimonio, verbi causâ, inter consobrinos: Certè hæc erit quaestio facti, utrum verum sit quod ille adserit de tali prohibitione.
22. Neque magis obstare potest, quod de statutis ex adverso differitur, ea esse facti & in facto consistere, cum sint particularia, aut juri communi contraria, vel saltem talia, de quibus liquido non constet, an sint introducta

Et

ta nec ne. Nam statuta jam introducta non minus sunt jus,
partemque juris constituunt, quàm leges scriptæ, quæ per jus
commune indigitari volunt, & tamen in facto consistere di-
cuntur, cum quæritur, an talia statuta sint facta, hoc enim pro-
bandum est ab eo qui in statuto fundat intentionem. Eodem 23.
verò modo, eademque ratione lex communis scripta non in-
congruè dicitur quid facti, quando dubium & incertum, ac ita
probandum est, an talis lex communis sit lata. Id enim locum 24
habet in omni jure positivo, quippe quod ex voluntate Legis-
latoris proficiscitur, quæ procul dubio in facto consistit, vid.
Bachov. ad Treutler. loco supra citato. Secus verò se res habet 25.
in immutabili jure naturæ, omnium hominum ratione rectè
utentium cordibus inscripto, quod in voluntate Legislatoris
aut in facto consistere dici nequit, exindeque probatione o-
pus non habet, vid. Resp. nostro n. 248. seqq.

Tandem laudavit adversarius Menochium 2. *presumpt.* 26.
8. n. 7. *seqq.* Sed ibi nihil aliud docet Menochius, quàm qua ra-
tione consuetudo, stilus, ritus, facti quid esse dicantur, quæ no-
bis nihil quidquam officiant, cum exinde concludi non pos-
sit, legem scriptam nullo modo quid facti dici posse. Longè 27.
verò melius huc pertinet, quod Menochius 1. *presumpt. quæst.*
II. hoc modo eleganter docet: Quicquid procedit ab opera-
tione intellectus hominis, illud est facti: Quod verò profici-
scitur ab operatione legis, hoc est juris. Qui hoc rectè appli- 28.
caverit præsentis negotio, is facile sentiet, hanc quæstionem, u-
trum Moses scripserit legem matrimonium cum uxoris de-
functæ sorore prohibentem, esse facti; Quia scriptio seu pro-
mulgatio legis est operatio intellectus hominis, quod nemo
sanæ mentis negabit. Et hæc est vera quæstio inter nos con- 29.
troversa, quam nobis negantibus adversarius affirmans pro-
bare

E

bare

bare tenetur, eaque probatâ denique (antea verò minimè gentium) quæstio juris decerni poterit pro adversario, an licitum sit contrahere matrimonium cum defunctæ uxoris sorore? Quia verò is ad Kalend. demum græcas id præstiterit, non habet, de quo sibi tantopere in hoc negotio gratuletur. Tantum ad argumenta Jcti Taboris Responso nostro opposita. Nunc ad rationes Theologi Havemanni examinandas progredimur.

C A P. V.

Membrum I.

Examen argumentorum Dn. Havemanni contra hoc matrimonium.

1. **H**ic operis sui libro 2. tit. 5. sub n. 8. ponit regulam: Prohiberi ducere sororem uxoris. Hanc prohibitionem dicit esse luculentam; verba autem sequentia, ad affligendam eam, & dum adhuc in vivis est, putat non firmare hoc argumentum: Ergo mortuâ uxore duces. Quia argumentum à sensu contrario deductum podagricis insistat pedibus, & absurda multa pariat, cum primis quando illicitum
2. quid prohibetur. Ponit exemplum: Si pater dixerit filio: Quamdiu vixero, mi fili, ne me affligas, Ideo cave tibi à furto & scortatione. Inde non posse argui; Ergo mortuo patre licere filio furari & scortari, sed ita arguentem pueris irrisui fore.
3. Rationem addit: Ex eo enim, quod scriptum est, non temerè colligendum, quod scriptum non est, præcipuè si id quod colligitur, ad absurda divertat, vel si ejus contrarium alibi ex legibus ostendi possit, tanquam illicitum & interdictum.
4. Verum quàm alienè & impertinenter ille sermocinetur, id fa-

id facile patet ex eo, quod generalis & illimitata ipsius regula,
Non potest duci soror uxoris, planè non sit luculenta, cum hæc
 prohibitio nullibi, nisi in hoc unico textu Mosis, at non gene-
 raliter aut purè, sed sub expressa restrictione & limitatione, *Do-*
nec uxor vixerit, sit proposita. Si quis itaque calumniari tex- 6.
 tum non velit, certè non unam ejus particulam, sed totam seri-
 em integrè recensere, & ex ea argumentum ducere debet.
 Quod autem evidenter sequatur: Prohibeor tantùm expressè 7.
 viventis uxoris sororem ducere: Ergo non prohibeor expres-
 sè defunctæ uxoris sororem ducere, id fortè Philosophorum,
 qui rectè ratiocinari didicere, nemo hætenus negavit, cum
 unò contradicentium & contrariorum posito alterum remo-
 tum censeatur, uti hoc in Responso nostro firmis rationibus
 stabilitum adversarius sicco pede prætergressus est. Satis qui- 8.
 dem à nobis concessum est, hoc argumenti genus vacillare,
 ubi periculum est absurditatis & peccati: Sed hoc in præsentè
 casu à nobis negatum, nulla ratione ex adverso probatum est;
 Ideoque sub petitione principii jacens hoc argumentum suo
 loco est relinquendum; Exemplum patris filio furtum & 9.
 scortationem se vivente patrare prohibentis puerorum irrisui
 verè subjacet: Hæc enim & alia ejusmodi vitia ipsum Jus na-
 turale & recta ratio prohibet tam defuncto quàm superstitute
 parente committi; Ideoque in tali exemplo planè cessat argu-
 mentum à sensu cotrario. At verò in nostro matrimonii ca- 10.
 su nulla prohibitio seu generalis seu specialis, seu positivi divi-
 ni seu naturalis juris existit, quin potius ante legem Mosis
 conditam duas simul sorores extra peccatum duci potuisse,
 ipse antagonista fatebitur, si historiam Israël, viri se & nobis
 procul dubio longè sanctioris non vocaverit in dubium. Itaq; 11.
 hoc adversarii argumentum à simili desumptum, propter enor-

- mem dissimilitudinem utroque podagrico pede claudicat, uti deductum in casu alio Respons. nostro num. 359. seqq. Ponat autem adversarius exemplum magis simile & accommodum
12. in patre filio suo immorigero aut scortatori dicente : Quamdiu ego vixero, tu nihil accipies ex bonis meis: numquid ex eo inferri non potest, hunc filium non esse post mortem patris exclusum ab hereditate paterna ?
13. Pergit Gamologia ita inferre : Mulieri prohibitum est successive duobus nubere fratribus. Ergo conclusio hæc est inepta : Viro non est prohibitum successive duas ducere uxores, scribere forte voluit sorores; quia per priorem prohibitionem juguletur monstrosa hæc assertio. Sed in quo capite resident istæ ineptiæ ? Unde nascitur aliquid monstri ? Videtur autor Gamologiæ prudentissimo Legislatori Mosi, si non ipsi spiritui sancto, istas ineptias & monstruosas assertions luculenter impingere, quippe qui utramque conclusionem posuit in eadem lege. Et ubinam est ista alterius conclusionis jugulatio per alteram facta ? Certè Spiritus Sanctus dicitavit Mosi hæc tres conclusiones : Mulier non debet nubere duobus fratribus successive, si prolem ex priore fratre susceperit. Mulier debet nubere duobus fratribus, prole ex priore non existente. Vir non potest ducere sororem uxoris viventis.
16. Quemadmodum autem hæc conclusiones inter se non pugnant, ita nec ulla earum pugnat cum nostra conclusione ex jam dicta ultima per bonam consequentiam eruta : Vir potest ducere sororem uxoris defunctæ. Nullam jugulationem aut
17. pugnam probabit adversarius, si recordabitur, non eandem esse rationem matrimonii fœminæ cum mariti fratre, quæ est cum uxoris sorore, quod in Responso nostro satis deductum ab illo aut non captum aut strenuè dissimulatum videtur, cum quod nostris rationibus opponeret, ipsi non suppetierit.

Porro

Porro addit, in Levitici *cap. XVIII.* ne vestigium inveniri
 de concessione matrimonii cum defunctæ uxoris sorore, pro-
 pterea quod in isto capite nulla concessio reperiat, sed meræ
 prohibitiones. Verum hic nodus jam erat dissectus in Respon-
 so nostro *num. 289. & 324. seqq.* Et si hoc loco memor fuisset
 adversarius doctrinæ suæ, quædam per se concedi in scriptura,
 quædam per consequentiam, fortè hoc argumentum propo-
 nere erubisset. Eo enim ipso, quod cum personis nomina-
 tis contrahere prohibitum est, censetur cum reliquis contra-
 here concessum esse per pronam & evidentem consequenti-
 am. Id quod etiam in hac nostra materia usu venit, ubi spe-
 cialiter, restrictè & sub expressa conditione, si uxor adhuc vi-
 xerit, prohibitum est ejus sororem ducere. Et obsecro quis
 unquam, nisi omnis sequelæ inops, ex hac speciali lege ita ar-
 gueret: Nemo debet ducere sororem uxoris, si hæc adhuc vi-
 vit: Ergo etiam nemo debet ducere illam, si uxor non amplius
 vivit? Deinde ita argumentatur adversarius: Non licet ducere
 uxorem defuncti fratris. Ergo nec defunctæ uxoris sororem.
 Quia utriusque quoad gradum par est ratio. At nos negavi-
 mus & adhuc negamus consequentiæ rationem, propter di-
 versitatis rationes in Responso nostro firmatas, quas adversa-
 rius tacitâ approbatione, dum non refutat, confirmat. Vaga-
 tur autem vehementer in petiti principii labyrintho, in quo
 nos toties errare absque ratione judicat. Ritè enim probare de-
 bebat, non ex mera sua & Præceptorū autoritate adserere, gra-
 duum propinquitatem in genere esse causam omnium prohi-
 bitorum à Moise matrimonii generum, quo factò demum re-
 bur argumenti sui ostendere. At verò plusquã miserè inducit:
 Graduum prohibitio non dependet à confusione seminum.
 Ergo semper & ab hac propinquitate consanguinitatis & acfi-

18.

19.

20.

21.

22.

23.


24.



nitatis. Si enim in gyrum syllogismi reduxerit adversarius hanc suam illationem, tum forte perspiciet, quàm turpiter in
 25. ne tendis sequelis hallucinetur. Namque plures possunt esse
 26. causæ alicujus prohibitionis in nuptiis, quàm confusio semi-
 num & hæc propinquitas sanguinis aut adfinitatis. Et quor-
 27. sum ille refert summi Legislatoris voluntatem, in jure hoc
 positivo condendo? cujus ratio ut ut hominem lateat, id legis
 28. valorem non infringit. Hinc ipse Lutherus, & alii Doctores,
 uti in Responso nostro probavimus, docent Mosen gradus
 circa has prohibitiones non numerasse, sed ad personas solùm
 respexisse. Ideoque malè juxta cum aliis infert adversarius;
 Nefarium censetur, si quis uxorem fratris ducat. Ergo nefas
 etiam est, si qua nubit sororis marito. Præterquam enim, quod
 hæc illatio venit ex supposita gradus prohibiti falsa reciproca-
 29. tione, non unam inter duos hos casus sed plures diversitatis
 rationes dedimus in Responso nostro *sub num. 346. seqq.* ab
 adversarii sana confutatione illibatas. Quàm autem is jeju-
 nè arguat, cum sororem uxoris carnem carnis illius facere ad-
 laborat, id in Responso nostro *n. 374. seqq.* demonstravimus,
 ad quod præter mera & inania verba ille reposuit nihil. Et verò
 30. quid responsurus est ad illud absurdum, quod ex ficta sua car-
 ne carnis necessario proficiscitur? Dicit enim, & pro immo-
 bili fundamento ponit, quod soror uxoris sit caro carnis illius
 mariti, qui alteram sororem in thoro habet. Eadem ratione
 sequetur, quod duo fratres non possint ducere duas sorores ex-
 traneas. Quod ille tamen libenter admittit *in sua Gamolog.*
lib. 2. tit. 5. posit. 2. n. 2. Certum enim est, quod ex ratione adver-
 31. sarii, & per textum *Genes. cap. XXXVII. vers. 27.* duo fratres sint
 una caro, & duæ sorores inter se itidem sint una caro. Si itaque
 duo fratres duxerint duas sorores extraneas, per necessariam
 adver-

adversi praesuppositi consequentiam duo fratres duas sorores extraneas in matrimonio habentes habebunt carnem carnis suae.

Schema est tale



Sempronius habens in matrimonio Sibillam cum, ea est una caro ; 33.

Sejus habens in matrimonio Ursulam etiam cum hac est una caro.

Sibilla & Ursula sorores sunt una caro.

Ursula est caro carnis Sempronii.

Sempronius & Sejus fratres sunt una caro.

Ergo Ursula est etiam caro carnis Seij.

Et vice versa

Sejus & Ursula conjuges sunt una caro. 34.

Sempronius est caro carnis Ursulae.


Ursula & Sibilla sorores sunt una caro.

Ergo Sibilla est etiam caro carnis Sempronii.

Ita nec inter Sempronium & Sibillam, nec inter Sejum & Ursulam, quamvis inter se nullo sanguinis gradu verè conjunctos 35.

conjunctos ex absurda consequentia carnis fictæ potest consistere matrimonium. Eadem ratione pater non potest ducere foeminam, & filius ejus filiam, sororem suam comprivignam, nec filius potest ducere sororem novercæ suæ. Idem erit in matrimonio cum uoxris meæ defunctæ fratris vidua.

Schema est tale



73. Anna & Sejus fratres & soror una caro.
 Sejus & Marta Conjuges una caro.
 38. Titius & Anna Conjuges una caro.
 Ergo Marta est Caro carnis Titii.

Hac ratione Marta non potest fieri uxor Titii post mortem Annæ & Seji, cum tamen à pluribus Theologis & Jctis tale matrimonium pro legitimo & non prohibito rectè habeatur.
 39. Quod adversarius non diffitetur, *dic. posit. n. 2.* dicens: Illam deum affinitatem impedire matrimonium, quæ est inter unum conjugem & alterius consanguineos. Quod verò ex hisce fictis carnibus carniū non nisi absurda sequela fieri possit, id demonstratum est in Responso nostro *num. 379. seqq.* Speramus itaque autorem hunc carnis carniū errorem correcturum, & ex eo deductum argumentum abjecturum esse.

Pro-



Progreditur is denuo ad auctoritatem B. Lutheri, quam ^{40.}
 sibi obstantem sentiens ut declinet, dicit Lutherum opinio-
 nem suam revocasse, & hanc revocationem duobus argu-
 mentis confirmare nititur. Primo ait, *J*ctum Monnerum in
 suo de matrimonio tractatu ita testari: scilicet quamvis Lu-
 therus anno M. D. XXII. senserit, jure divino licere uxoris
 aut sponsæ defunctæ sororem ducere, postea tamen sententi-
 am illam correxit. Egregia sane probatio! Si doceret adver-
 sarius Monnerum probasse suam adsertionem de revocata Lu-
 theri opinione, tum aliquid diceret ad rhombum: Sed hoc
 non conatus est dicere, cum benè noverit, Monnerum hoc
 non probasse; Ideoque tantummodo scribit, Monnerum sa-
 tis benè ita respondisse. At vero nec satis benè respondit Mon- ^{41.}
 nerus, & pejus hanc responsionem Monneri probationis vice
 habet Havemannus, qui scire debebat, revocationem opinio-
 nis Luthero imputatam esse rem facti, ideoque dilucide pro-
 bandam quam dum nemo probat, neque ullus mortalium ex
 Lutheri scriptis probare potest merito ens fictum habetur ista
 Lutheri revocatio. Et quid tandem futurum esset, si B. Lu- ^{42.}
 therus hanc opinionem revocasset, numquid ipsi statim fides
 in eo esset habenda, si revocatam opinionem suam ex verbo
 & lege Dei non demonstrasset? Alterum præsentis hujus re- ^{43.}
 vocationis argumentum in eo consistit, quod Lutherus con-
 jugium cum uxore patruï improbet in literis ad Spalatinum
 scriptis anno M. D. XXX. Quia verò ad hoc argumentum in
 Responso nostro *num. 487. & seqq.* sufficienter est responsum,
 idque ab adversario non prostratum, hac vicè ulteriore labore
 super sedemus.

F

Mem-

Membrum I I.

Examen Confutationis Dn. Havemanni.

1. **H**is argumentis propositis dicit *fol. 410.* cum sua gamologia sub prælo caleret, ad manus suas pervenisse Responsum nostrum, cui ipse subscribere non possit, aut à veritate contraria recedere propter sequentes rationes. Primò improbat nostram adsertionem, matrimonium hoc non esse prohibitum in lege divina, ex hac ratione, quod talis prohibitio non inveniatur in lege Mosis, quippe cujus scriptura tantum probet, quantum loquitur & non ultra, nec plus, quàm in ea corpore-
2. is oculis legi potest, quodque tenor ejus demonstrat. Hanc nostram adsertionem vacillare putat ex eo, quod quædam in S. Scriptura corporeis oculis legi non possint, & tamen exinde per verum sensum & necessariam consequentiam eruantur, quæ non minus pro firmis sint habenda, ac ea, quæ litera ipsa
3. externa proponit. Rem his exemplis declarare voluit: Jesum Nazarenum esse Messiam; Omnes homines peccato originis esse contaminatos; In una essentia divina tres distinctas personas esse, nullibi exstare in S. Scriptura, ita ut corporeis oculis legi possit: Et tamen sensu & consequentia ibi exstare: Multa enim in scriptura expressè, alia analogicè, quædam explicitè, nonnulla implicitè, quædam γενικῶς, quædam ειδικῶς, quædam αὐτολεξεί, quædam κατὰ πράγμα contineri. Verum ista informatione non erat opus ad negotium nostrum planè incommoda & inapplicabili. Nec enim uspiam dictum à nobis est, ex sacra scriptura nihil probari posse, nisi quod sensus monstrat literalis: Sed negavimus dari ullum in jure divino textum, unde vel per literā vel rectam consequentiam probari possit

possit prohibitio matrimonii cum defunctæ uxoris sorore. 6.
 Ex abundantia probavimus hanc nostram assertionem per no-
 tissimas regulas & brocardica juris, quod scriptura non dicit,
 ideo non probat; quod in scriptura oculis corporeis cerni
 non potest, id in ea non exstat. Has regulas sive admittat ad- 8.
 versarius sive non, tamen veræ manent, nisi ad absurda se con-
 vertere velit, & sustinere non entis aliquam esse operationem.
 Verba autem captare, non est respondere ad argumenta. O- 9.
 mnes in istis brocardicis juris se fundantes, quod notum est,
 de explicita literæ probatione ea intelligunt, propriè enim legi
 id dicitur, quod oculis cerni potest, & scriptum dicitur, quod
 scripti vigore apprehenditur, per jura & Dd. apud Menoch. *a-*
dipiscend. remed. 4. n. 108. 121. & 215. Quando verò ex aliquibus 10.
 verbis consequentia necitur, tunc non ipsa litera per se, sed ac-
 cedens hominis intellectus id probare noscitur, quo sensu im-
 plicitè legi dicuntur, quæ intellectu colliguntur, & vi verbo-
 rum veniunt. Menoch. *dic. loc. n. 216.* Ideoque hic nulla con- 11.
 tradictio est: Scriptura non plus probat, quam dicit: sc. ex-
 plicitè: Et ex scriptura aliqua deduci potest assertio per bonâ
 consequentiam. Hoc verò manet, quicquid captet adverfa-
 rius, illam literam seu scripturam, ex qua aliqua conclusio erui
 debet, corporeis oculis legi & cerni debere. Textum itaque 12.
 monstrare debebat, ex quo per evidentem, non per imagina-
 riam & ex falsis præsuppositis malè extortam consequentiam
 deduci possit, matrimonium cum defunctæ uxoris sorore non
 posse contrahi. Prohibitionem enim de carne carnis non du- 13.
 cenda hoc non præstare, cum soror uxoris non sit caro carnis,
 supra satis est probatū. Exempla ab ipso producta nobis planè 14.
 non obstant, tanquam aliena ad abstrusissimos fidei articulos
 pertinentia, quibus cum nihil negotii habet hoc nostrum ne-



- gotium : Nec rarum est adversario per argumenta à dissimilibus Lectori suo quid persuadere velle. Quam autem aliena & à maximè dissimilibus petita sit illatio : Isti articuli fidei per consequentiam ex scriptura probantur : Ergo etiam hujus matrimonii prohibitio ; id nemo eruditorum non videt.
- 15.
16. Si dixerit, hoc se tantum proposuisse ad destruenda juris brocardica à nobis adducta, regerimus illa ab ipso non magis esse destructa, quàm regula destrui possit non probatà exceptione,
17. quin potius illa confirmetur in casibus non exceptis. Deinde ad alia se convertit *fol. 413. & seqq.* ubi I. ad nostram illationē : Verba *Ihr zu wider / weil sie noch lebet /* non frustra sed cum effectu esse posita & intelligenda : ità respondet. Non sequi ; Verba illa non frustra sunt posita : Ergo hoc sensu, quod licitum sit defunctæ uxoris sororem ducere. Nam ista argumentatio non est nostra. Cur verò hoc non sequitur ? Quod propter vitam uxoris est prohibitum, id propter ejus mortem eo ipso non est prohibitum : quod non prohibitum, id censetur concessum. Hanc sequelam satis probavimus in Responso nostro, quod per adversarii argumenta adhuc firmis stat pedibus.
- 18.
19. Et quid tandem aliud sequetur ? Profecto assertio adversa ; Non debes uxoris non amplius viventis sororem ducere, nunquam ex illis verbis elici potest. Ob hanc enim rationē, & ad hunc effectum verba, *Ihr zu wider weil sie noch lebet /* non possunt esse posita, nisi plus quam absurde statuere velis, eandem propositionē iisdem terminis & affirmare & negare, seu quod eodem recidit, idem simul esse & non esse, contra
20. prima rectæ rationis principia. Reliqua illatio : si non exacerbatu uxore, non prohibetur ejus soror duci ; non est nostra, sed ipsius adversarii, cujus valorem infra detegemus. Ex
21. recta autem ratione non minus quàm exemplo Leæ & Rahelis
 prasu-

præsumit lex semper rixas & odia inter sorores generari per polygamiam simultaneam cum sororibus : Ideoque ut præcaveret Legislator istud malum, maluit prorsus abstineri à tali polygamia, quàm ante promulgatam hanc legem ex jussu naturæ vetitam non fuisse, exemplum Jacobi à Deo aut Mose in historia sacra nusquam reprehensi satis superque testatur.

I I. Continuat sua paradoxa, cùm dicit, hanc nostram 22.
collectionem nimis laxam & liberalem magna specie & insigni fuco polygamiam simultaneam probare. Sed modum probandi non monstrat. Non etenim sequitur : Potes ducere sororem uxoris defunctæ. Ergo potes plures uxores simul ducere, nisi à baculo ad angulum velis arguere. Equidem pro 23.
polygamia simultanea introducenda nunquam pugnabimus ; Absit ! Quod si verò adversarius istam fovet opinionem, ac si Judæis prohibitum fuerit à Deo vel jure naturæ, plures simul uxores ducere, tùm certè non levem errat errorem, quem deteximus suprâ cap. 3. n. 50. & infrâ plura de eo dicemus.

I I I. Sed fingit aliam illationem hoc modo : Uxor libentissimè hoc marito largitur, ut sororem ipsius superinducat, 24.
sanctèque protestatur, sibi non displicere &c. Ergo, quia in hoc casu verba prohibitionis non inveniunt locum, posse duci sororem uxoris viventis, & sic ad imitationem Jacobi duas simul sorores habere. Respondemus : sufficit nobis ista Dei prohibitio : Si ea non sufficit adversario, hoc nihil ad nos. Certum est uxorem amplius non viventem non posse adfligi 25.
talibus nuptiis ; At valdè incertum, imò ex juris præsumptione impossibile est, sororem alteram viventem tali non adfligi matrimonio. Rectè itaque summus Legislator volens avertere 26.
istud periculum afflictionis indefinite prohibuit istam cum sorore polygamiam. Exemplum & factum Jacobi uti male cri-



- lè criminari, ita pejus culpam in Labanum rejiciendo excusare fatagit ; semper n. seu criminetur factum seu excuset, incestus reum facit contra jus naturæ illum, cuius vix quisquã imitabitur pietatem & sanctimoniam ;
27. Quin etiam non sine evidente contrarietate Jacobum, ex proposito polygamum cum sororibus & incestuosum perseverantem, tamen Deo placuisse fateri tenetur, quæ duo an se invicem patiantur, ipse æstimet adversarius. Aut igitur Jacobus non fuit incestuosus contra legem Dei & jussum naturæ : Aut incestus contra legem Dei & jus naturæ non est peccatũ. Hoc falsum est. Ergo prius verum.
28. I V. Porrò nostram adsertionem, quod verba hanc legem restringentia ad vitam uxoris non debent in sensum contrarium torqueri, adversus nos inverti posse, & per eam ipsum Responsum nostrum peti persuasum sibi habet hoc pacto : Versum decimum octavum Levitici cap. XVIII. parere enunciationem universaliter negantem : scilicet hanc : sororem ad uxorem non accipies. Nostrum vero Responsum istam mutare in affirmantem : Tu potes defuncta uxore tua sororem ejus ducere. Sed eadem veritate, quã priora, etiam hæc sibi constant.
29. Namque ista propositio : Nemo debet ducere sororem ad uxorem ; quamvis in lege Mosis sit universalis quoad personas contrahere prohibitas, non tamen est universalis quoad tempus contrahendi, sed id restrictum est ad vitam uxoris, quod contra literam apertam nemo sanus negabit, qui ibi hæc verba legerit : *Du solt dines Wibes Schwester nicht nehmen neben ihr / ihr zu wider / weil sie noch lebet.* Nos per pronam & evidentissimam consequentiam à sensu contratio legis exinde hanc extruximus propositionem : Tu potes ducere uxoris sororem illa amplius non vivente. Quando enim Lex prohibet aliquid fieri certo tempore (uti hic tempore viventis uxoris)
- XORIS)

xoris) semper lapsō tempore intrat argumentum à sensu con-
 trario ex necessitate post Alexandr. *Cons. 95. n. 4. lib. 4. Et Con-*
fil. 61. n. 43. lib. 3. Cardinal. Tusch. *præctic. conclus. lit. A. concl.*
498. n. 75. Quod hæc mutatio propositionum sit, id præter ad- 31.
 versarium hætenus docuit nemo. Quin potius ipse propo-
 sitiones legis divinæ immutet; Cum enim lex Dei dicit: Tu
 non debes ducere sororem uxoris, hac vivente: tum adver-
 sarius: Tu non debes ducere sororem uxoris seu viventis seu
 defunctæ. Quid verò est mutare propositiones, si hoc non
 est? Mutat enim enunciationem Dei restrictam & limita-
 tam in aliam absolutam puram & illimitatam. Utrum id ipsi
 licitum sit, judicari potest ex Deuteron. *c. IV. vers. 2. & c. XII.*
in fin. Sed instat Antagonista; hîc alteram enunciationem al- 32.
 teri adversari, siquidem unam prohibentem esse, alteram conce-
 dentem. At meminisse debebat, contradictionem non esse inter
 duas enunciationes, quæ diversis constant terminis, uti hoc
 casu evenit, quo altera propositionum de vita, altera de morte
 concepta est. Cautior esse poterat in obtrudendis contradi-
 tionibus enunciationum & exclamandis contra nos naniis; Has
 enim suas naniis pro Psalmis nobis non vendet. Norunt sani-
 ores, aliquam propositionem non rarò explicitè quid negare 33.
 quæ implicitè ac virtute materiæ quid adfirmet in terminis cõ-
 trariis. Nec verò hoc prætensæ contradictionis monstrum per
 intempestivè arreptum matrimoniū cum fratris vidua stabiliet,
 quod & ab hoc nostro multis passibus distat, & contra jus na-
 turæ non est, idèoque eadem cum illius prohibitione comple-
 ti Deus non adigendus, utpote cui liberum erat in alio ita, in
 alio aliter statuere matrimonio per legem positivam. Quod 34.
 verò Gamologia ait, Deum hac ratione idem prohibuisse
 & concessisse, indeque ejus mutabilitatem argui posse, id tam
 fal-

- falsum est, quam quid falsissimum, ex ratione jam adsignata & in Responso nostro abundè probata, quam toties repetere
35. supervacaneum est. Et quare quis Moysen coget, ut ad gradus cognationis respicere debuerit, quos quidem jura Christianorum politica observarunt, sed isto tempore ignorabantur? Patiatur ergo summum legislatorem suas pro lubitu leges constitui, quamvis ipse rationes, quare, excogitare aut non possit aut non velit in Responso nostro non obscure propositas.
36. Ubi nunc idem malum; idem bonum? Cogitet saltem quid Deus constituerit in matrimonio cum fratris vidua, quod modo prohibuit modo jussit. Ergone Deum arguet, qui eandem rem pro bona & mala habeat? qui mutabilis & inconstans sit. Sed regetur ille: Hoc malum propter certam rationem fit bonum. Atqui idem & hoc casu contingit, quo in alium uxore vivente definit esse malum ea mortuâ. Ubinam nunc istæ difficultates, quibus premi metuit Responsum nostrum?
37. Non autem ipse solus, quod autumat, scripturæ propositionem negantem finit esse negantem, sed & nos idem facimus semper adserentes, Non licere sibi jungere sororem uxoris donec hæc vivit. Verùm nos non mutilamus istam propositionem, uti facit adversarius dicendo, Non debes ducere sororem uxoris. Hæc jam dicta si applicaverit suæ responsioni ad distinctionem nostram, quâ tempus vitæ uxoris à tempore mortis secernimus, videbit à se petitionem principii, ad quam ipse toties prolabitur, nobis sine causa esse exprobratam.
38. V. Huc pertinent, quæ ex eadem farina contra regulam à nobis in Responso *num. 194. seqq.* de prohibita dispositionis extensione ultra expressâ, propositam, firmisque rationibus & Dd. autoritatibus munitam regessit: Limitat ille regulam per suam prohibitionem non γενικῶς sed tantum ἐιδικῶς for-

formatam. Exemplo & instantiâ dissimilima rem tantam con-
 ficere conatur, nempe prohibitum inter parentes & liberos ma-
 trimonium extendi ad reliquos adscendentes & descendentes.
 Sed parum principium petit, non probando hic *γενικὸς* prohi-
 bitionem esse factam, partim contra ocularem inspectionem
 plus quam audacter *fol. 412. in fin.* negat, matrimonium inter
 avum & neptem expressè & ad literam esse prohibitum, (Hic
 verò malè applicatis perspicillis integrum versiculum decimum
 Levit. cap. XVIII. quo inter avum & neptem nuptiæ integris
 & conceptis verbis interdictæ sunt ex hac causa, Nuditastua
 sunt, prætervectus est) partim mera heterogenea & non co-
 hærentia proponit, & à diversis ac separatis suas elicit conclu-
 siones. Fatetur enim, sub appellatione parentum & libero- 41.
 rum omnes reliquos adscendentes & descendentes venire,
 quod profectò de cognatis, nedum ad finibus collateralibus
 sibi promittere, nisi absurdè, non potest. Deinde istam pro- 42.
 hibitionis extensionem in linea recta causatur ipse naturæ jus-
 sus, quo hæc matrimonia sunt damnata, qualia inter collate-
 rales lex tantum positiva impedit, exceptis illis, quæ initio ge-
 neris humani propagandi causâ inter fratres & sorores ex ne-
 cessitate permissæ postea communi morationum gentium ob-
 servantia non minus ac si jure naturali verè prohibita essent,
 evitari consueverunt, qua de re alio loco disseruimus *Differ-*
tat. de jure frat. & soror. 2. posit. ult. Ulteriores verò nostræ 43.
 adsertionis, quâ admissum dicimus matrimonium cum de-
 fundtæ sororis uxore, probationes dicis tantum causâ à nobis
 postulat, quia factas in Responso nostro nondum elisit. Eat
 itaque ad Rhodum [quò nos remittit] & saltet, quærat nodum,
 & solvat, sed ferro violenter non scindat. Nec verò absurdum 44.
 est aut impossibile, aliquam propositionem negantem impli-

G

citè



citè quid adfirmare, prohibentem quid concedere, ex scripto consequentiam non scriptam inferri tuto posse, uti id supra deductum, quicquid se hoc animadvertere dissimulet antagonista contra doctrinam & confessionem propriam.

45. V I. Examinat nostram adsertionem; quod vita uxoris sit ratio prohibens hoc matrimonium, ejusque prohibitionis causa finalis. Sed eodem successu quò reliqua. Incommodè, illius judicio, vitam uxoris dicimus causam istam finalem, quia magna sit differentia inter vitam uxoris & exacerbationem in vita. Ergo hanc non esse illam, quippe sine qua possit esse uxoris vita. Et textum non loqui de vita, sed de vexatione in vita. Sed quorsum inanis illa distinctio? Et unde tam certus est adversarius uxoris vitam esse posse sine vexatione ex sororis nuptiis sibi metuenda? At ponamus id aliquando & rarissimè fortè fieri posse: quid inde eruet adversarius? Reddissimè J Crus Celsus *in l. Ex his. 4. & seq. ff. de legib.* docet; Ex his quæ uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur: Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter & facile, quàm quæ perrarò eveniunt; Et ex Theophrasto Paulus *in l. τὸ γὰρ. 6. ff. eod.* quod semel aut bis existit, prætereunt legislatores. Jura enim constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his quæ ἐπὶ τὸ πλείον accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου, teste Pomponio *in l. Jura. 3. ff. eod. tit.* Hoc si prudentes homines leges ferendo observant, cur omnium sapientissimus Legislator Deus Opt. Max. id neglexerit? Quis itaque tam rudis in neciendo argumento contra legem latam esse velit, ut propter unicum casum inter sexcenta aut plura exempla vix semel contingentem inducere velit, propterea
46. causam legis finalem cessare? Dicit distinguens antagonista, textum non loqui de vita, sed de vexatione in vita. Atqui exinde
- depo.

de potiùs inferre debebat, si rectè concludere volebat, textum loqui de vita. Quomodo enim vexatio in vita contingere potest sine vita? Profecto eiusmodi adversarii subtilitates rem non extricabunt. Quæ verò exercitii gratiâ ex fonte Ebræo adjecit, contra nos non sunt, sed fortè contra Mûnsterum aut Rakanatum, quibuscum nihil nobis commercii est.

VII. Probavimus in Responso nostro, n. 212. *seqq.* Vitam uxoris & metum angustiaë ejus ex superinducta sorore esse causam finalem dispositionis, ex hac ratione, quod ista causa per modum conditionis sit adjecta dispositioni vel prohibitioni divinæ. Ad id obiter ille respondet, quod conditio non statim sit causa finalis, idque non indigeat ampla probatione. Ipse quidem hoc dicit: Sed Procurator non credit. Cur enim non aliquam & hoc in loco dedit instantiam, ex qua ista negatio poterat fundata videri contra auctoritates Dd. à nobis adductas? 49.

VIII. Insuper malè à nobis dictum putat, ex duobus ablativis, uxore vivente, elici causam finalem dispositionis. Sed ubi sentit periculum sibi creari ex ista negatione contra tot à nobis laudatos Doctores, maluit negare hic duos esse ablativos, quàm contrariam illam suam probationem, quod duo ablativi non inferant conditionem, & per consequens causam finalem, in lucem proferre: Dicit in textu hebræo non stare duos ablativos formaliter, quod ipsi possumus largiri. Sufficit nobis textum rectè esse versum per duos ablativos, eosque materialiter esse in textu originali: Cogitur itaque fateri, æquipollentem propositionem esse in textu hebræo, At vero duo ablativi non ideo inferunt conditionem, quod sunt ablativi, sed quod æquipollent propositioni conditionali, eandem 50.

- demque cum hac vim habent. Nihil itaque agit, dum tanto-
 pere textum authenticum deprædicat, & versiones rejicit, do-
 nec ritè doceat interpretes alios juxta cum B. Luthero hoc lo-
 co conditionalem propositionem eive æquipollentem per vi-
 tium posuisse, quod vix ac ne vix præstabit. Unde corrui-
 illius conclusio: Ergo ex duobus ablativis in versione for-
 san (cur forsàn?) repertis res tanti momenti non colligitur,
 52. qui in textu originali non existant formaliter. Sed quanti tan-
 dem res hæc est momenti? Ipse Deus dicit, Non debes ducere
 sororem uxoris viventis. Idem & nos dicimus. Deus non
 dicit; Non debes ducere sororem uxoris defunctæ. Cur i-
 taque adversarius affirmat Deum hoc dixisse?
53. I X. Denique impugnat adsertionem nostram, quod cau-
 sa in dispositione expressa ei ita adhæreat & annexa sit, ut neu-
 tra possit esse sine alia; Unde intulimus, hanc causam esse fi-
 nalem. Ille verò putat, hoc nude à nobis adseri, non probari,
 & hoc esse in quæstione, ubi nullum videat medium termi-
 num, ex quo illa adsertio fidem mereatur. Respondemus
 Deum non purè & illimitate prohibuisse hoc matrimonium
 cum sorore uxoris, sed additâ hac expressâ restrictione, dum
 uxor vivit, sive illa vivente, seu sub hac conditione, si uxor ad-
 huc vixerit angustiam ex superinducta metuens. Jam si
 Deus separatam à dispositione voluisset illam causam habere,
 is eam ipse separasset, & purè prohibuisset matrimonium cum
 sorore uxoris, uti reliquas prohibitiones purè concepit per
 Moysen: Quod cum non fecit, utique separationem haberi
 54. noluit, sed voluit manere causam annexam. Namque in po-
 testate nostra situm non est, particulam legis divinæ retinere
 aliâ abstractâ & remota, sed totus & integer contextus retinen-
 dus est, quod vel in legibus humanis usu venire docet
- J. C. Tus
 Cellus

Celsus, cum dicit, Incivile esse, nisi tota lege perspecta, una ejus particula proposita judicare vel respondere *in l. Incivile 24. ff. de legib.* Quanto magis id in lege divina locum habet, ubi quicquam seu addi seu detrahi prohibitum est *Deuteron. cap. IV. vers. 2. & cap. XII. infn.*

X. His ita pro lubitu suo confutatis obtrudere nobis conatur ^{55.}
 pro autoritate veram, quam putat, causam finalem hujus propositionis, nimirum hanc: Nemo accedat ad proximam carnis suæ; quam in sorore uxoris verificari extra dubitationis aleam ponit. Verum merâ principii petitione, cum toties ingeminando negavimus hanc carnis carnis qualitatem, ejusque impotentiam exposuimus. De duarum sororum carne una quod dicit *ex Genes. cap. XXXVII. vers. 27.* æquè per fictionem juris intelligendum est, quod si negaverit, oportet eum hanc admittere absurdam contradicentem: Fratres & sorores verè, naturaliter & propriè sunt una numero caro. Quanta verò absurda gignantur ex ista ficta carne carnis, si nimis temerè in ea quis velit fundamentum ponere in hac re tam seria, id supra demonstravimus *hoc cap. memb. I. n. 30. seqq.* Verè autem & ^{56.}
 cum effectu juris non potest censerì caro carnis, quàm inter adscendentes & descendentes. Nec enim pater & filius sunt una numero caro, sed filius est de carne patris, & sic caro carnis patris, quod nec de fratribus nec aliis consanguineis, multò minus de adfinibus adseverari potest. De ficta autem carne procedi rectè non posse per argumentum ad carnem veram, extra dubium est. De morte carnis propinquitatem non auferente quod adfert, scopum non ferit; ^{57.} Negamus enim ullam unquam intercessisse sanguinis conjunctionem, qua in re Deum ipsum consentientè habemus, qui eo ipso, quo hoc matrimonium tantùm vivente uxore prohibuit, talem propinquitatem

58. tatē carnis, quæ in aliis est, in uxoris sorore cum sororis marito
 non agnovit. Nec verò adversariū juvant exempla heteroge-
 nea in fratris vidua, in amita & aliis à se adductis partim non-
 nullum ad lineam rectam respectum habentibus, cum illa à
 59. separatis deducta ad Dei positivam legem ferentis liberam
 voluntatem coërcendam plus quàm inepta sint. Nulla igitur
 est contradictio in hoc negotio cum versu 16. hujus capituli
 XVIII. quippe ubi non de iisdem, sed diversis propositionibus
 verba facta sunt, inter quas contradictionem oriri nemo Logi-
 60. corum hæcenus docuit. De causâ verò minus principali quæ
 oratoriē magis quàm disputatoriē proponit, in proprio ipsius
 61. cerebro nata suo loco relinquenda sunt. Causam Deus ipse
 adjecit suæ legi, si ea frigida est & frivola, ut ex adverso objici-
 tur, tùm ipse Deus causam frigidam & frivolam adjecit, quæ
 nobis tamen calidior est & ponderosior omnibus ab adversa-
 62. rio excogitatis. At verò clarius dicit ille: Tu non duces ux-
 oris tuæ sororem, quia est proxima carnis tuæ: Hic habes cau-
 sam grvissimam. Sed invertē; Tu non duces uxoris tuæ so-
 rorem, ne uxor tua exacerbetur: Hoc sensu posito, nulla est
 alia causa hujus prohibitionis, quàm illa tantum, ne incalescat
 Lesbia, ne cum Xantippe fulminet & sibi podagram ex sale vo-
 latili accersat, si forsân omnia salia tam fixa quàm volatilia in
 visceribus latitantia simul accenderentur à sorore superindu-
 cta. En quam frigidum in re tanta! Hæc sunt verba adver-
 63. sarii. Fatemur hæc ab illo sat clarè quidem, sed minus verè,
 minus reverenter erga legem Dei, si non scopticè dici, sed à
 nemine præterquam ab ipso. Hæc enim ipsius, non Dei pro-
 positio est: Tu non duces sororem uxoris tuæ quia est proxi-
 ma carnis tuæ. Altera autem, Tu non duces uxoris tuæ sor-
 rem, ne uxor tua exacerbetur, non est nostra, sed Dei proposi-
 tio

tio. Judicet nunc quilibet cordatus, an Havemanni rationibus an verò Dei plus fidei sit tribuendum. Toties ille audivit, rem fictam esse, quod soror uxoris sit caro carnis mariti, quæ Mofi ne quidem in mentem venire poterat. Eadem itaque operâ collabuntur, quæ de fine primario & secundario hujus prohibitionis tam malè cohærentia tantopere corrasit.

X I. Tandem invehit iterato in argumentum à contrario sensu à nobis adductum in Responso, cujus valorem aliqua quæstione ad conscientiam, uti retur, pertinente, infringere laborat, dum differit, Tutius esse consilium disuadentis, quàm suadentis matrimonium, ubi consanguinitas certa sit, gradus autem in dubio hæreat, & disputetur, sitne licitus an illicitus. Respondemus hæc aliena esse, nec nostri negotii nervum frangere. Si is præsupponit, nos suadere aut ulli hominum suasse hoc matrimonium, tum nobis luculentam infert injuriam. Novimus enim Ecclesiæ & Magistratum Christianorum constitutiones hac in parte non minùs, quàm in aliis observandas, & contra facientes puniendos esse. Conscientiæ verò erroneæ qui consulit, & morsam ab aliis tranquillat, nunquid is melius agit, quàm qui verbum & legem Dei citra rationem extendendo eam fortiùs percellit, & tantùm non ad desperationem rapit? Cum verò dicimus argumentum à sensu contrario legis in jure validum esse, tum ejus valorem non intra cancellos juris Digestorum, Codicis & Novellarum, uti non absque sannis ex adverso ponitur, includimus, sed in genere in omni jure positivo id procedere adfirmamus, salvo tamen casibus, quibus id perdit officium suum, à Doctoribus sat luculenter annotatis. Quod verò adversarius hujus argumenti vires & valorem, uti fatetur, subolfacere non potest, exinde illius valor & virtus non deminuitur. Nec enim solos JCtos, sed

64.

65.

66.

sed

- sed eximios etiam Philosophos hoc argumenti genus excoluisse, inque eo magnam consequentiæ rationem posuisse, si quis negaverit, is remittendus est ad scripta sapientum.
67. Incusat formationem argumenti ita incipientis: Si expressè est prohibitum matrimonium cum sorore uxoris viventis: & dicit, hoc antecedens membrum propositionis non habere genuinam prohibitionis causam, qua cessante cessare possit prohibitio: Contrariam enim concessionem nusquam exstare. Respondemus Non est mirum eum negare concessionem ex speciali & restricta prohibitionem resultantem, qui apertam nuptiarum prohibitionem inter Avum & neptem ausus est negare. Det ipse firmas rationes, quare ista concessio non sit eruenda ex deficiente prohibitionem, illæ enim quas ad ravim frustrâ ingeminat, de carne carnis, fratris vidua & imaginaria prohibitionum reciprocatio in linea obliqua, profecto nervum non infringunt propter disparitatem rationum. Flebile autem argumentum est, quod cohortem claudit: Non possum ducere uxoris meæ defunctæ sororis filiam. Ergo multo minus sororem ipsam. Cum id petitione principii laboret, neque per ullam rationem, præter quam per negatam prohibitionis reciprocatioem, & respectum graduum à Mose habitum, probari possit. Quæ enim sequela? Nuditatem patris tui ne retegito, ad uxorem ejus ne appropinquato, amita tua est, Levitic. cap. XVIII. vers. 14. Ergo non potes ducere uxoris tuæ sororis filiam. Si adversarii mens esset Dei, & hujus cum illius mentem convenire certum esset, tum fortè talis consequentia necesse posset. Quemadmodum verò adversarius cui vis liberum merito relinquit judicium, utrum robustiora sint ipsius adserta, quam nutans, quod vocat, argumentum à sensu contrario. Ita & nos arbitrium judicandi cui libet relin-
- qui-

quimus, utrum digniora & veriora sint, quæ ex verbis & mente legis divinæ clara, quàm quæ ex mutatione ad finitatis in finem carnem carnis, exemplis heterogeneis ac dissimilibus, nec non ejusmodi rebus aliis congesta sunt ex parte adversa.

Membrum III.

Tria problemata Dn. Havemani.

PRæter hanc de matrimonio cum defunctæ uxoris sorore^{1.} quæstionem aliquot problemata ad Responsum nostrum pertinentia autor Gamologiæ proponit, quorum validitatem in sequentibus coronidis vice examinare lubet. Hæc verò talia sunt:

I. Omnes ac singulas prohibitiones graduum *cap. XIIII. 2.* Levitici propositas, nullâ exceptâ, non esse merè Leviticas & juris positivi, quò soli Israëlita olim in veteri testamento fuerint obligati, sed Juris naturæ, obligantes omnes omninò in orbe terrarum homines idque omni tempore *lib. 2. tit. 5. posit. 6. not. 1.*

II. Prohibitiones in citato Levitici *cap. XIIII.* repertas^{3.} non tantùm ad personas expressè ibi nominatas, sed ad gradus pertinere *lib. 2. tit. 5. posit. 6. not. 2.*

III. Prohibitiones in nuptiis *d. cap. Levit. XIIII.* factas nullam admittere dispensationem *lib. 2. tit. 7. reg. 2.*

Harum propositionum validitatem satis infregimus in^{4.} Responso nostro, & quidem primæ *sub. n. 243. seqq. 426. seqq.* secundæ *sub n. 332. seqq.* tertiæ in totius quæstionis tertiæ resolutione *n. 556. seqq.* Quæ omnia hic repetere res acta foret. Ideoque tantum argumenta adversarii ad lydiùm lapidem posita tribus sequentibus articulis brevius tractabimus.

H

Arti-

Articulus I.

An omnes prohibitiones matrimonii sint
ex jure naturæ.

Dicit Havemanus omnes prohibitiones Levit. cap. XIX. propositas esse juris naturæ non formaliter & causaliter, sed duntaxat subjective, quia id jus à Deo naturæ humanæ inditum est. Originaliter autem & formaliter id appellari jus divinum & revelatum, quia immediato instinctu Spiritus S. à viro Dei Mose scriptum est. Et sic lex Mosaica in nullis negotiis matrimonialibus, quoad congruam dispositionem ac constitutionem, opponi juri primævo, nisi tantum in concessionem repudii. Ità differit ille. Si intelligit quid dixerit, bene est: Quid verò sit, causaliter esse jus naturæ, id adsequi erit difficile. Esse autem revera legem aliquam naturalem, & tamen non esse talem formaliter, id non minus manifestam implicat contradictionem, quam ut quis verè sit homo, & tamen non formaliter. Nos cum omnibus eruditis omninò putamus, utrū divina aliqua prohibitio ad jus naturæ pertineat nec ne, id nulla alia ex causâ judicari posse, præterquam ex hac una: si scilicet ea venit ex dictamine rectæ rationis, per quod Deus homini prohibet, quod ipsum ex natura sua dedeceat, seu quod voluntati hominis ex natura sit disconveniens. In eo enim residet formalis ratio juris naturalis. Uti è contra, quod non est ejusmodi dictamen rationis, illud nec formaliter nec subjective legis naturæ appellationem mereri. Quemadmodum verò ille nunquam probabit omnes prohibitiones, exempli causâ, matrimonii cum vidua fratris & uxoris sorore, esse dictamen rationis, per quod Deus prohibuerit homini, quod ipsum ex natura sua dedeceat, seu quod voluntati homi

ni

nis ex natura sit disconveniens : Ità etiam nemini persuadebit, 6.
 illas & alias ejus generis prohibitiones esse juris naturæ, sed illæ
 necessario ad jus divinum voluntarium positivum sunt redi-
 gendæ. Equidem utraque lex divina tam naturalis quam 7.
 positiva vim obligandi ex Dei voluntate habet, sed diversa ra-
 tione. Hæc enim vim obligandi formaliter habet à volunta-
 te Dei libera : Illa autem non hoc modo est voluntaria, sed
 per voluntatis Dei actum necessarium. Quemadmodum n. 8.
 Deus necessariò se amat, nec unquam à sui amore discedere
 potest : Ità etiam, cum sit sumè & essentialiter justus, non potest
 non præcipere, quæ ex natura sua hominem decent, & vetare,
 quæ ipsum ità dedecent, cum illa intrinsecè digna sint præcipi,
 hæc talia, vetari. Formalis itaq; ratio legis naturalis non uti ex 9.
 adverso narratur, est revelatio divina, sed voluntas Dei præci-
 piendi, vel prohibendi necessaria, quamvis legis ipsius pro-
 mulgatio per revelationem facta sit. De legis Mosaicæ disposi- 10.
 tione in causis matrimonii non opponenda juri primævo, nisi
 tantùm in concessione repudii, quæ adnectit, in nostra hypo-
 thesi entia ficta sunt, & pro talibus habenda, usq; dum Gam-
 ologia ritè probaverit, Deum in lege primæva Adamo ejusque
 posteris ante Moysen data ejusmodi matrimonia in linea obli-
 qua sanguinis & affinitatis prohibuisse. Et si, per impossibile 11.
 arguendo, id præstare posset, non tamen evincet, omnia pri-
 mævo illo jure prohibita statim jure naturæ prohibita censeri,
 nisi idem de polygamia *Genes. cap. II. vers. 24.* (quod nuper
 non nemo ex argumento *Genes. cap. XXVI. v. 12.* satis audacter
 facere ausus est) & de esu carnis cum sanguine *Genes. cap. IX.
 vers 4.* plus quàm absurdè velit adfirmare. Huc faciunt, quæ
 in Responso nostro *num. 427. usque 436.* sunt firmata. Unde
 cuivis facile patet, quàm hoc Gamologia problema falsum sit.

- Nunc ad argumenta, quibus autor illud stabilire conatur,
12. descendemus. Primum hoc est: Alias gentes extra populum Israelis propter contractas ejusmodi nuptias punitas & è terra sua ejectas esse. Ergo earum prohibitionem esse de jure naturæ. Verùm quia hoc argumentum in Responso nostro *sub*
11. *n. 445. seqq.* enervatum est, merito ab ejus repetitione abstinemus, hoc tantùm monentes, Gamologiam de suo addere, quod tam materia præcepti, quàm Majestas præcipientis in hisce prohibitionibus poenas ejusmodi capitales gentibus generent.
12. Nulla enim ratione dici potest, Deum necessariò prohibuisse omnia matrimonia Levit. cap. XIX. prohibita, nec justitiam Dei sibi constare, nisi ea prohibuisset aut adhuc prohibeat. In specie intrinsecè digna esse vetari, seu ut scholæ loquuntur, intrinsecè apta esse fundare & terminare sui prohibitionem matrimonia ista in gradibus sanguinis & adfinitatis obliquis remotioribus, cum fratris vidua & sorore uxoris &c.
12. id verò nemo sanus adserturus est. Quis itaque non videt, objectum illud ex se & natura sua prorsus esse indifferens, ac proinde tam permitti quàm vetari potuisse? Unde consequitur Jus aliquod non esse inditum ipsi naturæ humanæ, quod tales nuptias prohibeat.
14. Secundum argumentum adversarii in Responso nostro *num. 464. seq.* prostratum ità comparatum est, ut exinde nihil ad hoc negotium pertinens possit inferri, etsi quis vel magnū profyllogismorum cumulum coacervaverit. Quam enim ratione quis ità inferet? Propheta Ezechiel *cap. XXII. vers. 10. seq.* Judæis exprobrat, quod nuditatem patrum filii retegant, impuras ex separatione comprimant, alter alterius uxorem adulterent, nurus suas impurent, per vim cum sororibus se commisceant. Et Amos *cap. II. vers. 4.* Quod pater & filius in
- Isra-

Israële accedant ad eandem puellam. Ergo hi Prophetæ pro-
 pter transgressionem prohibitionis certorum graduum etiam
 gentiles arguunt. Incertum enim est, an aliæ gentes isto tem- 15.
 pore grandia & enormia illa delicta, qualia hic de Judæis affir-
 mant Prophetæ, contra jus naturæ commiserint. Et ut hoc
 ab ipsis factum fuerit, quia tamen Prophetæ ad alias gentes,
 præterquam Judæos nec missi nec locuti sunt, non potest ad-
 severari, has ipsorum comminationes & increpationes etiam
 ad alias gentes factas esse. Etsi factæ essent ad illas, non tamen 16.
 ex ea reprehensione ista peccata qualitatem prohibitionis
 juris naturæ induunt, sed illa in intrinseca sua qualitate per se
 consistunt, & ex intellectu hominis qua recta ratione præditi,
 talia cognoscuntur. Quæ verò consequentia est? Hæ jam nu- 17.
 meratæ transgressiones maximam partem sunt contra jus na-
 turæ. Ergo illæ omnes sunt tales. Aut pejus. Ergo etiam o-
 mnes aliæ prohibitiones nuptiarum in linea collateralis sangui-
 nis & ad finitatis, in specie cum defunctæ uxoris sorore & e-
 jusmodi similibus, sunt ejusdem qualitatis.

Tertium argumentum de Herodis cum fratris viventis 18.
 uxore adulterio, & incestu privigni cum noverca adeò vacil-
 lat, ut nulla arte possit sustineri, per deducta in Responso no-
 stro num. 466. seqq. Et verò quæ consequentia? In novo te-
 stamento reprehenditur adulterium & incestus cum fratris
 viventis uxore, & privigni cum noverca. Ergo ibi etiam pro-
 hibitæ sunt omnes nuptiæ, quarum fit mentio in vetere testa-
 mento *Levitic. cap. XIIII.* Aut quæ alia adversarii hæc seque-
 la? Adulterium & incestus cum fratris viventis uxore & privi-
 gni cum noverca vi legis Evangelicæ sunt jure naturæ prohi-
 bita. Ergo etiam omnes reliquæ nuptiarum species in Levi-
 tico propositæ ejusdem legis Evangelicæ vigore ex jure natu-
 ræ pro-



ra prohibita veniunt; Et in specie cum defunctæ uxoris sorore ac ejusmodi similes.

19. Quartum argumentum mole ruit sua, uti probatum in Responso nostro *n. 422. seqq.* Non enim necesse potest ejusmodi sequela. Quædam prohibitiones graduum circa nuptias cognitæ sunt à gentibus honestioribus jure naturæ factæ, exempli causâ inter fratres & sorores. Ergo omnes prohibitiones Levitic. cap. XII. comprehensæ, & in specie cum defunctæ uxoris sorore. Nisi contra regulas Logices & rectæ rationis colligere ex propositione particulari ad universalẽ, & itâ partem conclusioni fortiorem dare quàm alteri præmissarum, aut à separatis ac diversis certi quid inducere velis. Hæc si secum paulò melius ponderasset adversarius, tum fortè prædecessorum suorum inutilia argumenta novo at falso colore & fuce exornare erubuisset.
20. His itâ positis, autor se convertit ad refutandos Pontificios, quos sibi solos hac in causa resistere putat, & cum in abusum dispensationis pontificiæ satis esset invectus, pro se adsumit argumenta Jcti Morrii pontificii scriptoris, iisque suam comunire opinionem fatagit hoc modo: Morrius dicit, nullum gradum hodie jure divino prohibitum esse, quin jure naturali idem sit prohibitus. Et in his gradibus Pontificem dispensare non posse, qui jus divinum usque ad animam defendere teneatur, sed ipsi tantummodò in gradibus jure positivo prohibitis dispensare licere. Atqui gradus in Levitico non jure positivo, sed originaliter & propriè jure divino sunt prohibiti: Ergo Pontificem in illis dispensare non posse. Equidem hujus scripti Morrii nobis copia non est. Non autem absque ratione conjicimus, Morrium pontificium non dissidere à Covarruvia in Responso nostro *num. 439.* citato, sed inter illos benè convenire,
- omnes

omnes gradus jure divino hodie, id est in foedere novo (ad quid enim aliàs vox hodiè?) prohibitos etiam jure naturæ prohibitos censeri. Minus itaque rectè Morrio adscribitur, ipsum loqui de prohibitionibus Levitici omnibus, cui vix potuit esse ignotum discrimen inter jus divinum naturale & voluntarium seu positivum, & non ex illo, sed ex hoc plerasque Levitici prohibitiones matrimoniales venire. Unde non male fortè Morrius conclusit: Pontifici jus esse (posita ordinaria Pontificis potestate) non in casibus jure divino naturali, sed tantùm in casibus jure divino positivo prohibitis dispensare. Et ità satis argumenta Morrii scopum feriunt. Ponamus autem Morrium ità ut autor enarrat, inferre & dispensationem ordinarii Magistratus in omnibus istis gradibus negare: Certè id veritati nihil magis detrahere potest, quàm si quis alius id adfereret.

Relicto Morrio ad unicum tantùm Bellarmini argumentum, reliquis omiſſis, autor se adcingit, quod tale est: Prohibitiones juris naturæ semper obligant etiam ante legem Moſis. Prohibitio cum uxoris sorore & aliæ ejus generis non obligant ante legem Moſis; exemplo Jacobi *Genes. cap. XXIX.* Onani filii Judæ. *Genes. cap. XXXIIX. vers. 8.* Amrami. *Exod. cap. VI. vers. 19.* Ergo istæ prohibitiones non sunt juris naturæ. Ad hoc ità respondet autor: 1. Natura abhorret à tali conjugio. Sed cum hæc responsio principium petens ad neutram propositionum, sed ad ipsam conclusionem data sit contra leges disputandi, eam in medio relinquimus. 2. Ad exemplum Jacobi reponit: Labanum esse in culpa, non Jacobum, qui Leam ex illius fraude pro Rahele cognoverit per ignorantiam; Id verò quicquid fuerit erroris, fide in Messiam obvolutum esse. At verò quomodo culpæ expers est Jacob, qui Rahelem,

- helem, quam unâ Leâ contentus relinquere poterat, superinducebat? An Jus naturæ ita Patriarchâ Virum Dei violare debebat propter amorem Rahelis? Rectius & sine crimine dimittere Leam poterat, in cujus nuptias non consenserat Jacobus, quàm itâ corrumpere jus naturæ. Sed unde probat ille illud obvolucrum criminis per fidem in Messiam? Probare prius debebat crimen incestus contra jus naturæ esse, si quis uxoris sororem duxerit, deinde periculum facere, quomodo Jacobum excuset per fidem. Quis verò in gratiam alicujus crediderit, Jacobum Patriarcham tantæ virum fidei scientem volentem jus ipsum naturæ violasse? Aut quis non potius & rectius dixerit, istud factum Jacobi non pertinere ad juris naturæ prohibitionem? vid. Responsum nostrum *num. 256 seqq.*
27. 3. Ad Onani exemplum regerit, id factum esse, ut semen fratri excitaretur. Atqui de eo non est quæstio, sed de hoc: An factum Onani sit contra jus naturæ? Certè ex ratione illa concessi cum fratris vidua matrimonii sequitur, id nisi lege Dei positiva non esse prohibitum. Utrum verò hæc negotii circumstantia, excitatio seminis fraterni, intrinsicam rei turpitudinem mutare, aut quod idem, jus naturæ invertere & facere possit quò minus id sit jus naturæ, hoc nemo, qui juris naturalis cognitionem habuit, unquam docuit. vid. Responsum nostrum *num. 440. seqq.*
29. 4. Amrami exemplum amitam suam ducentis itâ rejicere conatur autor, ut textui vim facere per novam interpretationem non dubitet, dicendo ipsum non duxisse amitam, contra omnium Interpretum (quorum auctoritas immane quantum uni novo prævaleat!) communem opinionem, sed amitæ filiam; ex hac ratione, quod vox hebræa DOD patrum significans aliquando filium patrum indiget. Ergo etiam vocem hebræam foemininam DODAH amitæ

amitæ filiam hoc in loco denotare. Sed quid non poterit responderi, & quid certi demum habituri sumus hoc respondendi modo concessio? Inops mentis sit oportet, qui imbecillitatem & futilitatem hujus sequelæ non sentiat. Ubi nunc est solida illa, quam autor jactitat, responsio ad hoc Bellarmini argumentum? quod tamen solius Bellarmini non est, sed omnium hac irre veritatem sectantium. 5. Aliam proponit autor Ga-30. mologiæ generalem responsionem: Non exemplis, sed legibus esse judicandum. Verum probandum prius erat, legem tempore Jacobi & Amrami fuisse contrariam. Illud enim juris brocardicum tum demum procedit, cum de lege exemplis contraria certò constat, non autem in casu dubio. Cardinal. Tusch. *practic. conclus. lit. E. conc. 549.* Et quare ab exemplis virorum sanctorum argui non debeat, casu quo neque de prohibitione neq; de reprehensione facti quidquam scriptum est. 32. Quid verò per adductum locum Matthæi *cap. XIX. vers. 8.* intendat, quod Moses Judæis permiserit dimittere uxores, secus ac initio constitutum fuerit, Oedipo fortè erit opus.

Articulus 11.

An prohibitiones Mosis ad gradus, an ad personas pertineant?

CItius expediri poterit hic articulus, cujus materiam discussimus in Responso nostro *num. 330. seqq.* Autoris primum argumentum nobis opponitur hoc modo. Ubi ponitur generalis prohibitio; Nemo ducet carnem carnis suæ, ibi prohibitio non ad personas tantum numeratas, sed ad gradus pertinet. In Levitic. *cap. XIX.* ponitur ista generalis prohibitio. Ergo. Sed quàm fallax sit connexio majoris propositionis, 2.

I

nemo,

nemo eruditorum non videt, quam illi uti ineptam negamus. Interpretem quidem is agit istorum verborum, cum ea sic explicat: Nemo ducat propinquam suam, sive sit propinqua per consanguinitatem, sive per adfinitatem, ex carnali generatione, vel ex carnali copulatione, sive sit caro carnis supra, sive infra, sive ad latera. Satis uno bolo. Profectò si duo ista verba, caro carnis, tantam vim habent, vix in scriptura alia invenies efficaciora. Quia verò hæc mera & inania autoris prolixas consequentias nec tentis verba sunt, nullâ ratione probata, merito eadem facilitate, qua posita sunt, rejiciuntur. Debilitas argumenti de generali ista prohibitione demonstrata est in Responso nostro n. 368. seqq. ubi liquidum fecimus, istam proximitatem carnis non omnes casus subjectos comprehendere, quibus si lubet addi possunt dicta suprâ cap. V. membr. 1. n. 29. seqq. & membr. 2. n. 55. seqq.

3. Argumentum secundum, de paritate rationis in gradibus expressis & omisissis confutatum est suprâ cap. V. membr. 1. n. 22. seq. & in Responso nostro n. 346. quæ hic repetere nihil foret aliud, quàm crambem bis coctam fastidiosè reponere.
4. In argumento tertio iterum repetit autor extensionem prohibitionis, positis exemplis in linea recta, ad quod refutandum acquiescere possumus in illis, quæ in Responso nostro num. 374. & suprâ cap. V. membr. 2. n. 40. seqq. per adductas diversitatis rationes proposuimus. Nec verò absurdum judicare debet antagonista, si quis dixerit, neq; positivo neq; naturali jure divino prohibitum esse matrimonium cum sororis filia, cujus contrarium si ipse probare voluerit, aliis, quàm ex imaginaria rationis paritate desumptis argumentis opus erit. Non malè autem propter honestatem Magistratus Christiani graduum prohibitiones adæquarunt in foeminis & maribus jure positi

positivo, quò etiam themata ex aduerso posita benè procedunt; Nimirum prohibito gradu prohiberi omnes casus congruentes. Prohibito gradu remotiore (salvâ tamen inter rectam & obliquam lineam differentiâ) etiam prohiberi propinquiorem. Verùm istas regulas à Mose aut Deo Opt. Max. extra casus juris naturæ observatas aut necessariò observandas fuisse, id probandum est ab adversario, Interim lustrabimus ipsius responsiones ad argumenta in contrarium à se proposita.

Primò concedere tenetur, Mosen ignorasse istam graduum computationem postea à legislatoribus introductam: Sed hoc nihil ad rem facere autumat. Cur vero id nihil ad rem? An igitur juxta gradus eorumq; computationem Moses prohibuit matrimonia, de quibus ipsi nihil erat cognitum? Quam temere! Atqui, instat ille, naturalis propinquitatis, origo consanguinitatis & adfinitatis, Mosi non fuit ignota. Sed quid inde? Certè non hoc: Ergo Moses omnes personas sub eodem gradu contentas prohibuit. Hac n. ratione gradus prohiberi necessum erat, non certas personas. Sed Moses certas personas, non verò quatenus sub gradu certo comprehenduntur, ex mandato Dei, inter se misceri prohibuit. Ergo nò alias sub eodem gradu contentas, cujus cognitionem nò habuit. Equidem largimur, Mosi notam fuisse omnem propinquitatem ex sanguine & adfinitate. Sed negamus isto tempore omnem illam ab adversario præsuppositam propinquitatem fuisse causam prohibitionis. Hoc enim est, quod ipse probare, si poterit, tenetur: Et si fuit, non tamen exinde obligatio extra Rempubl. Judæorum viventium inde exstruetur. Secundo tale argumentum ille ponit in contrarium: Nisi personæ à Mose determinatæ duntaxat sub prohibitione intelliguntur, frustrâ eas à Mose nominatas esse. Hoc argumentum non est nostrum, ideoque



- præterire illud possumus. Aliud verò est, si ita arguamus; Si Moyses sub personis illis specialiter nominatis intellectas voluisset alias, non solas illas in specie, sed sub graduum, aut alia generaliori appellatione nominasset: Id enim tam facile ipsi fuit, quam adversario. Atqui Moyses illas in specie, & non sub graduum aut alia generaliori appellatione nominavit. Ergo sub illis alias personas intelligi noluit. Quid in hoc argumento desideret adversarius, non indicat. Fortè recurret ad principium de carne carnis per circulum, sed eò non est admittendus: donec rectè illud principium probaverit. Pergit autor, specialis illa designatio facta est ob majorem claritatem & evidentiam. Sit ita. Exinde autem non potest colligi; Ergo sub illis personis adhuc alias esse intelligendas: Sed potius hoc: Ergo huic designationi speciali satis claræ & evidenti nihil erit addendum. Quod enim sat clarum & evidens est, si ei quid addere velis, quid egeris aliud, quam ut solem facibus illustrare labores?
10. Quod tertio loco de revocatione Lutheri eandem nobiscum sententiam, sc. non gradus sed tantum personas hinc numerari, foventis repetit, id nullius momenti esse abundè demonstratum est suprâ *hoc cap. V. memb. 1. n. 40. seqq.* & in Responso nostro *num. 487. seqq.* cujus contrarium non probatur per autoritatem Dd. ab adversario laudatorum.

Articulus III.

Prohibita matrimonia an dispensationem
admittant?

1. **A**utor *Galatog. lib. 2. tit. 7.* omnes ac singulos casus Leviticæ prohibitionis matrimonialis à dispensatione excludit. Quam nos quæstionem in casu nuptiarum cum defunctæ uxoris

xoris sorore in Responso nostro sub resolutione tertiæ quaestionis *num. 556. usque ad fin.* pro & contra arguendo explicavimus, quò avidum remittimus lectorem. Hic verò nonnullas Gamologiæ propositiones examinabimus, earumque & aliquot auctoris responsionum debilitate expositâ finem huic adsertioni imponemus.

Initio dicit autor *d. tit. 7. Regul. 1.* Dispensationem esse relaxationem juris positivi: ad differentiam juris divini & naturalis. Hic verò si autor, uti videtur, omne jus positivum à divino abstrahere velit, & hoc intra cancellos solius juris naturalis continere, nihil profectò excogitari poterit magis absolum. Quò enim referet prohibitum esum carniū cum sanguine *Genes. cap. IX. vers. 4.* & alias ejus generis prohibitiones? Si ad jus naturæ; quis non ridebit potius quam refutet? Necessesse itaque est concedat, multa in jure divino esse disposita per legem Dei voluntariâ seu positivam, id quod supra latius est probatum *artic. 1. n. 4. seqq.* Jam si jus aliquod divinum positivum est, uti omninò est, concedat etiam oportet ex propria sua doctrina, in illis quæ jure divino positivo seu præcepta seu prohibita sunt, dispensationi humanæ esse locum, vid. Responsum nostrum *n. 437. seqq.* Exinde quod ea, non uti jura naturalia immutabilia, sed ad solum forum Israëlis pertinentia nos nisi ex Magistratus & Ecclesiæ constitutione non ligant. Responso nostro *n. 656. seqq.*

Hinc evidens est, quàm periculosa sit illa propositio ab autore *d. tit. 7. Reg. 2.* posita: Prohibitiones divinas nullam admittere dispensationem, exinde, quod sint universales & immutabiles, quibus nihil addendum vel detrahendum. Namq; illa adsertio non nisi de prohibitionem divina ad jus naturæ immutabile pertinente ulla ratione adfirmari, neque jus divinum



- naturale cum positivo confundi potest aut debet. Quam verò
5. dissolutæ scopæ sint ea, quæ *lib. 2. tit. 5. posit. 9. Regul. 16. Et tit. 7. regul. 2.* de omnibus nuptiis contra prohibitionem Leviticam contractis dirimendis differit, id vel exinde patet, quod ea, quæ prohibitionibus naturalibus tantum competunt, adscribere non veretur positivæ legis prohibitioni, quæ diversa diversos effectus producentia si rectè discernere didicisset, sine dubio indignationem & cachinnos super tolerantia nonnullorum matrimoniorum, *Gamolog. fol. 433. ad fin.* sibi motos compe-
 scere, & tam felli quam lieni parcere potuisset. Eiusdem farinae sunt, quæ de nullitate ejusmodi conjugiorum corradere, exindeque illis dispensationem ipsius Mogul Indorum, magni Tzar Moscorum, omniumque in Christianitate Europæ Regū plus quam mimicè præscindere voluit, omnia ex adæquatione omnium prohibitionum & confusione naturalis & positivæ legis profecta, quibus opponimus deducta in Responsi nostri quæstione secunda *n. 492. seqq.*
 7. Restat valorem responsionum auctoris ad aliquot argumenta contraria *fol. 517. seqq.* adducta excutiamus. I. Ponunt Dd. tale brocardicum: Multa facilius impediri ab initio, quam si facta fuerint, rescindi. Indequè colligunt, Multa impedire matrimonium contrahendum, quæ tamen non sint apta satis & valida ad contractum illud dirimendum, quo de in Responsi nostro *n. 509. seqq.* ubi rationem ejus adsertionis dedimus luculentam. Ad hæc respondet ille: Hoc argumentum non loqui de re ipsa, sed de modo: Sed qua ratione tantum de modo? Non loquimur de modo dissolvendi matrimonium; sed de ipsa dissolutione, quam hoc casu jure fieri posse negamus per illud argumentum. Nec vero sufficit proposuisse distinctionem inter rem ipsam & modum rei, sed applicari debebat ea distin-

tio

Etio ad præfens negotium, quod dum ipse non facit, nihil eum
 juvat sua distinctio. Instantia de febrî quartana aliena est &
 mera elenchi ignoratione laborat, cum dicit non sequi: Fe-
 brem quartanam impediri facilius, quàm curari. Ergo eam
 non esse curandam. Namque nullus Doctorum præter ipsum ^{9.}
 ità arguit: Multa facilius impediuntur ab initio, quam facta
 rescinduntur. Ergo Nulla facta debent rescindi. Aut: Ergo
 nullum matrimonium debet rescindi. Sed hoc modo infe-
 runt: Faciliores sæpè sunt causæ, quibus impeditur aut pro-
 hibetur matrimonium contrahendum, quàm quibus dissol-
 vitur contractum. Ergo graviores debent esse causæ, quibus
 id dirimi debet, quàm quibus id impeditur potest. vid. Respons.
 nostrum n. 50. seqq. Si itaque exemplo suo ad instantiam uti
 volebat adversarius, ità id instruere debebat: Facilioribus re-
 mediis impeditur quartana, quam curatur. Ergo illa remedia,
 quibus ea impeditur, non sufficiunt ad ejus curationem. Hac
 ratione ipse confirmat nostram & omnium Dd. adsertionem:
 Multa facilius impediri, quàm dirimi, & graviores causas re-
 quirî ad dissolvendum, quàm impediendum matrimonium,
 idque præter suam spem etiam sentit procedere in suo exem-
 plo febrili, quod minus cautè in medium produxit. Quare au-
 tem id in matrimonio sua natura indifferente & saltem positi-
 va lege prohibito valere non debeat, nullam sufficientem red-
 dere potest rationem.

I I. Doctores dicunt, Mosen nonnulla matrimonia pro- ^{10.}
 hibere, at ea non dissolvere contracta, sed pœnam determi-
 nando subsistere. Ad hoc ità respondet Gamologia. Illa de-
 licta omnia capitalia, iisque capitales pœnas statutas esse, quod
 firmare nititur per argumentum à minori hoc modo: Cùm ^{11.}
 foemina menstruata rem habentem excindendum esse unà
 cum-



- cum muliere ista è medio populi sui : Quod tamen delictum minùs sit quàm incestus. Ergo multò magis quemlibet incestuosum capite esse multandum. Verùm si cogitasset non omnes concubitus inter cognatos & adfines ex latere veri incestus nomine comprehendi, & sibi in legibus positivis pœnali-
 12. bus non licere extensiones facere, fortè ab hoc argumenti genere abstinuisset. Et quis Judex hodie virum cum menstruata rem habentem ob hanc solam causam capite puniret ? Videt itaque vel ex hac sola ratione, illam de non cognoscenda menstruata legem non naturæ, sed voluntatis divinæ esse solos Ju-
 13. dæos obligantem. Nimum autem videtur crudelis, qui ex verbis scripturæ, sine liberis moriuntor, gravidas foeminas tam unà cum foetu nondum edito, quam partu jam in lucem emisso è medio tollendas esse pronunciaverit, secus ac summus & misericors ille, justissimus tamen Legislator, qui non vult, ut liberi portent iniquitates parentum, ità ut pro iis vitam
 14. fundant. *Deuteron. cap. XXIV. vers. 16.* Quod si verò existimat adversarius pœnas delictis etiam contra jus naturæ perpetratis à Deo præstitutas ex eodem jure naturæ procedere, ipse sentiet quàm graviter fallatur, si consideraverit homicidium voluntarium juri naturæ repugnare, & tamen mandatum Dei sanguinem homicidæ repolcens ex ipsius positiva seu voluntaria lege profectum esse, egregiè id demonstrante Viro jus naturæ optimè docto Hugone Grot. *in explicat. c. V. Matthæi.* Sæpius enim gratiam homicidis fieri videmus à Principibus, quam illi concedere contra naturæ legem, ne utiquam possent.
 15. III. Porro insipidos insipide prorsus appellat Doctores, qui æquitatem in dirimendis nuptiis perfectis spectandam docent, ex hac ratione, quod in summa iniquitate, qualis sit in incestu consummato, non possit esse æquitas. Verùm si quis
 16. verba

verba captare non vult, non potest non cognoscere, neminem inter Doctores æquitatem in incestu quærere, sed in puniendo matrimonio contra jus divinum tantum positivum contracto; Iniquus verò est, qui æquitatem in decernendis pœnis spectandam esse non concesserit.

I V. Adversus ea, quæ de ignorantia juris non excusante^{17.} proponit, non expedit multa verba facere. Inde autem non sequitur: Ergo nuptiæ ex ignorantia juris contractæ in gradu prohibito à jure positivo statim sunt dirimendæ; sed aliæ ad-

sunt pœnæ quibus iste nuptiarum contractus coërceri potest. Nec enim omnis limitationis expers est illa regula de ignorantia^{18.} juris, sed eo demum casu procedit, ubi lex certa est. Hic verò nulla lex matrimonium dirimens præsto est. Plus autem^{19.}

quàm absurdè ex textu *II. Thessalon. cap. I. vers. 8.* ità arguitur. Deus ulturus est eos, qui se & Evangelium non agnoverunt.

Ergo Nuptiæ per ignorantiam juris, in casu legis positivæ prohibentis, contractæ sunt dirimendæ.

V. Conscientiæ tranquillitatem ex dispensatione oriri au-^{20.} det negare, & è contrario inferre, per illam conscientiæ pavorem augeri, & cumulari peccatum. Verùm is facile placabit

conscientiam, qui didicit Deum in pluribus casibus lineæ obliquæ non ex imutabili naturæ, sed mutabili positiva lege solos

Judæos obligante prohibitionem fecisse, hanc autem dispensationi Magistratus subjacere. Si quis verò forte rudis in ejus-^{21.} modi casu turbat, quam lenire debebat conscientiam, is certè vindicem Deum expectabit, rationem crudelitatis ipsi red-

diturus.

V I. Scandalum ex dissolut matrimonio jure naturæ non^{22.} prohibito proficisci negat, ex hac ratione, quia ista dissolutio fiat juxta verbum Dei. Hoc autem ab ipso non probato fa-

K cile

- cile corrui hæc responsio. vid. Responsum nostrum *num. 507. seq.* Quæ verò de nullitate contractus adjecit, non secus ac si rem acu tetigisset, ea prorsus nulla & inutilia esse constat ex iis quæ deducta sunt in Responsio nostro *n. 528. seqq.*
24. VII. Ad aliud argumentum: Dubium esse, an omnes gradus ita sint comparati, ut matrimonium in iis contractum debeat rescindi: ita respondet: Deum immutabilem esse, qui ita præceperit. Verum istud argumentum exindi nihil detrimenti
25. capit. Deus enim semper manet immutabilis, etiam si jura à se populo Israël per legem positivam data possint mutari, eaq;
26. plura sint mutata. Probandum prius erat, has prohibitiones nuptiarum extra lineam rectam & obliquam in primo gradu esse immutabiles, hoc est jure naturæ factas; quod faciet adversarius, cum Deus desierit esse immutabilis. Et insipida est
27. illatio: Consummatio mali non emendat materiam mali. Ergo dispensatio non potest fieri in consummato malo. Aut igitur ille concedat, dispensationem in delicto non perpetrato fieri, absurdè: aut admittat dispensationem in malo consummato: aut omnem dispensationem & veniam delictorum è
28. medio tollat. Eligat cui dicat, tu mihi sola places. Præterea nihil agit antagonista, sua brocardica: æquè prohiberi à Deo quæ per consequentiam, quàm quæ directo prohibentur: in
29. medium projiciendo. Debebat factum substratum probare, scilicet Deum hoc loco per consequentiam quid prohibuisse, antequam jus applicabile ponat; illud verò non per conse-
30. quentias fictas, sed per pronas & evidentes. Non enim accipimus talem consequentiam, quam non nemo nuper nexuit ex *Genes. cap. XXXIX. vers. 20.* quo textu probat adulterii poenam ante legem Mosis apud gentes fuisse capitalem, per hoc argumentum. Josephus ob adulterium sibi imputatum conjectus est in

est in carcerem, quo adseruari consueverunt criminaliter ac-
cusati. E. poena adulterii fuit capitalis. Risum teneatis amici.

VIII. Perfectionem matrimonii per copulam sacerdoti- 31.
lem apud Christianos magni momenti rem esse, eaque facta
non facile rescindi matrimonium, noverunt omnes, adeo ut
hodie nullum matrimonium pro perfecto habeatur, quod ista
solennitas deficit, aliàs enim à concubinato affectione con-
jugali instituto nihil aut parum differret. Negat autor eam 32.
considerari in materia dispensationis, ex hac ratione, quod a-
pud Persas, Turcos & gentiles ista copula non sit in usu, qui ta-
men inter se verum habeant matrimonium. Sed ipse viderit
an hæc major subsistat: Quicquid apud Turcos, Persas & infi-
deles non est in usu in matrimonio perficiendo, illud apud
Christianos nihil facit ad essentiam & substantiam matrimo-
nii. Non putamus illum hæc serio scribere, qui Ecclesiæ sanctos 33.
ritus & constitutiones, uti par est, magni æstimat. Aliter hac de
re differit *Carpzov. Jurisprud. Ecclesiast. lib. 2. defn. 142.* Et quid
tandem? Si sola copula sacerdotalis non sufficit ad impetran- 32.
dam dispensationem, nunquid exinde statim arguendum,
quod in matrimonio in gradu lege positiva prohibito planè
non sit dispensandum?

I X. Neque cohabitationem per aliquot annos dispensati- 35.
oni causam dare putat, cum illa augeat, non minuat incestum.
Sed rectè respondetur, non agi de dispensatione in incestu ve-
ro, ex lege naturæ; sed de incestu improprie dicto ex lege po-
sitiva; quæ si discernere quis novit, ità jejune non concludit.

X. Absque petitione dispensatio nunquam datur ex offi- 36.
cio. Inde arguit ille; si petitio illa obtinetur, id idem esse, ac
si furi petenti licentia furandi concedatur. Verùm cui quidvis
ex quovis sequitur, is non potest non ità à diversis & alienis



concludere. Aliud est, veniam dare contra legem positivam, & aliud contra legem naturæ peccanti, quæ differentia tandē observanda est à lege naturæ ad positivam toties arguenti. Imò sic arguentem oportet hæc duo inter se longissimè distantia non sine grandi ignorantia pro iisdem habere: Veniam dare delicti contra legem positivam perpetrati; & dare licentiam peccandi contra jus naturæ.

37. X I. Ineptum dicit argumentum: Dissolutio matrimonii prohibiti non legitur in verbo Dei. Ergo non facienda: ex hac ratione, quia non opus sit dissolutione, in matrimonio quod ab initio nullum est. Sed nondum probavit hoc esse nullum, *supra hoc art. n. 6.* & nihil respondere potuit ad nostra argumenta *Resp. n. 528. seqq.* quibus luculenter probavimus. Hoc matrimonium contractum non esse ipso jure nullū. De
38. incestu, causa divortii, quod addit, admittimus in vero incestu, non in ficto & improprie sic dicto. Verus ad lineam rectam pertinet, & obliquam proximam, quem jure naturæ & gentiū prohibitum novimus vid. *Responsum nostr. num. 272. seqq.* Probet is idem in linea obliqua remotiore. Ex Mose non poterit; si vult, ostendat locum, aut faciat bonam, non falsam consequentiam.
39. XII. Quæ ultimo loco de nuptiis cum vidua fratris requirit, sterilia sunt & dispensationem non tollunt. Hoc autem
40. firmiter exinde exstruitur: Quod tale matrimonium non sit verus incestus contra jus naturæ, aliàs enim ob nullam circumstantiam à Deo id esset præceptum, nisi impie dicere velis, Deum ter opt. max. contra se ipsum præcipere homini, quæ ipsum intrinsecè dedecent. Objicit: In Codice sacro non existere istas dispensationis causas, si copula sacerdotalis & diuturna cohabitatio accesserit. At quid in sacro Codice copulam sacer-

sacerdotalem quæramus, quæ postea ab Ecclesia introducta
 est? Forfan existimat omnia in sacro Codice extare debere,
 quæ ad ceremonias aut ritus ac alios actus pertinent, quò vix
 aliud quid risu magis dignum adferi poterit: Quò & hoc per- 42.
 tinet, Matrimonium cum fratris vidua ob semen defuncto
 excitandum neminẽ liberat ab incestu in veteri testamento,
 quàm Judæos. Quasi verò non aliis etiam gentibus ob ean-
 dem rationem ejusmodi nuptias sine nota incestus, qui sua
 natura in illis non est, constituendi potestas sit. Plura pos-
 sent addi contra alia Gamologiæ paradoxa, nisi pigeret tem-
 poris in rebus istis levioris ponderis jacturam facere. Sufficit 43.
 hac vice demonstratum esse, quàm ille autor vel argutiis suis,
 vel responsionibus ad argumenta nostra & aliorum præstiterit
 nihil. Lector æquus recto judicio non destitutus pensatis illis
 parvi faciet autoritatem sine recta applicatione tot textus ju-
 ris divini producentis. Nobis autem & veritatis & existima-
 tionis non tam nostræ quàm Celsissimi Principis Consulenti-
 ratio expressit, quæ utrique adversariorum ipsum criminis
 contra jus naturæ rerum falso facere non erubescantium re-
 ponere coacti sumus, quibuscum, extra hanc causam nihil no-
 bis est discordiæ, ad animum revocantibus dissidia circa ejus-
 modi disputationes charitatem Christianam impedire non
 debere. Deo Optimo Maximo soli semper sit Laus,
 honor & gloria in secula.



Adsertionis
INDEX GENERALIS

Prooemio.

1. **P**onitur causa propter quam haec Adsertio in lucem edita sit. n. 2. seqq.
2. Tractatus dispescitur in sua capita, membra & articulos. n. 12.

CAPITE I.

1. **P**roponitur occasio refutati à ICTo Tabori Reponsi nostri. n. 1. usque 9.
2. Argumenta è scripto Taboris, quod armamentarium Iustiniani appellat, recensentur n. 11. usque ad fin.

CAPITE II.

Examinantur argumenta Taboris.

1. **D**emonstranda carne carnis. n. 1. usque 13.
2. Ab autoritate Ecclesiae orthodoxae desumptum n. 14. usque ad fin.

CAPITE III.

Confutatio & Responsiones Taboris ponderantur
& refutantur.

1. **C**ontroversia de quaestione juris & facti remissivè n. 2. seq.
2. Elusio praetensa per contrariam quaestionis informationem. n. 4. usque 10.
3. Instantia contrariae probationis. n. 11. usque 14.
4. Declinatio argumenti à sensu legis contrario. n. 15. seqq.
- (1) Id non procedere in dispositione negativa. n. 17. usque 35.
- (2) Neque in jure singulari & privilegiario. n. 36. seq.
- (3) Nec, ubi correctio juris communis sequitur. n. 38. usque 44.
5. Instantia de turpitudine matrimonii cum fratris vidua. n. 45. usque 52.
6. Opinio Lutheri revocata. n. 53.
- (1) Ex separatione & discretione scriptorum ipsius. n. 54. seqq.
- (2) An in Papae gratiam haec quaestio agatur. n. 62. usque 71.
- (3) Ad necessitatem bonorum operum. n. 72.

CAPITE IV.

Differitur de quaestione Juris & facti, eaque controversia
enucleatur, & respondetur ad argumenta
Taboris.

1. **E**x l. voluntatis 7. C. de fidei commissis. n. 10.
2. Ex l. Ex verbis 14. C. de donat. int. vir. & uxor. & ex l. Sejae. 20. §. fin. ff. de instruct. & instrum. legat. n. 11. seq.
3. Quaestionem facti ad ICTos non pertinere. n. 13.
4. De dubia juris decisione. n. 14. seqq.
5. Non

5. Non queri hic de facto narrato. n. 18.
6. Ad instantiam de statutis, que facti sint. n. 22. seqq.
7. Ex loco Menochii 2. presunt. 8. n. 7. seqq. n. 26.
8. Distinctio questionum juris & facti ex Menochio. n. 27. seqq.

CAPITE V.

Examinatur Contradictio Havemani.

MEMBRO I.

Respondetur ad argumenta Havemani pro adserenda
sua opinione adducta.

1. **P**rohibitionem, Non duces uxoris sororem, esse luculentam. n. 1. 5. 6.
 2. An argumentum hic à sensu contrario procedat. n. 2. 8.
3. Ad exempla Havemani respondetur n. 3. 9. seqq.
4. Ad argumentum à matrimonio cum vidua fratris. n. 13. seqq.
5. In Levit. cap. XIIII. meras esse prohibitiones, nullas concessiones. n. 18. seqq.
6. Ad argum. à pari gradu inter connubia fratris vidue & uxoris sororis. n. 21. seqq.
7. Ad argum. de Carne carnis. n. 29. seqq.
8. De revocatione Lutheri. n. 40. seqq.

MEMBRO II.

Confutationes Havemanianæ refutantur.

1. **A**n scriptura plus probet, quam dicit. n. 1. seqq.
 2. Ad exempla Havemani ex abstrusis articulis fidei respondetur. n. 4. 14. seqq.
3. Quid inferant verba, *Ihr zu wider weil sie noch lebet*. n. 17. seqq.
4. An polygamia stabiliatur. n. 22. seqq.
5. Ad instantiam de consensu uxoris. n. 24. seqq.
6. An mutantur propositiones. n. 28. seqq. 37.
7. Prohibitio an inferat concessionem. n. 32. seqq.
8. Ad extensionem prohibitionum. n. 38. seqq.
9. An vita uxoris sit causa finalis prohibitionis. n. 45. seqq.
10. An conditio in dispositione inducat causam finalem. n. 49.
11. An duo ablativi importent conditionem. n. 50. seqq.
12. An causa huic dispositioni inseparabiliter annexa sit. n. 53. seqq.
13. Ad repetitum argumentum de carne carnis. n. 55. seqq.
14. Ad pretesam in lege Dei contradictionem. n. 59.
15. Ad Havemani causam principalem & frigidam. n. 60. seqq.
16. An conscientia admittat hoc matrimonium. n. 64. seqq.
17. Ad argum. de filia uxoris sororis. n. 68.

MEMBRO III.

Tria Havemani problemata examinantur.

ARTICULO I.

1. **A**n omnes prohibitiones Levit. cap. XIIII. sint juris naturalis. n. 1. seqq.
 2. Morrius an recte pro sententia Havemani adductus. n. 20. seqq.

3. Argum.

3. *Argumentum Bellarmini an enervatum ab Havemano. n. 24.*
4. *An hic ab exemplis judicandum. n. 30. seqq.*

ARTICULO II.

An prohibitiones Levitici cap. XII. ad gradus, an ad
meras personas pertineant?

1. **A**d argum. Havemani: de generali prohibitione à carne carnis. n. 1. seq.
2. *Ad argum. de paritate rationis in gradibus. n. 3.*
3. *Ad argum. de extensione prohibitionum. n. 4.*
4. *An Moses cognoverit computationes graduum. n. 7.*
5. *Determinatio personarum à Mose facta an impediatur gradus. n. 8. seqq.*

ARTICULO III.

De Dispensatione.

1. **A**n in casibus Levit. cap. XII. prohibitis possit dispensari. n. 1. 4.
2. *An in prohibitis jure divino positi vo locus sit dispensationi. n. 2. seq.*
3. *Malè confundi jus divinum naturale cum positi vo. n. 5.*
4. *De propositionis valore: Multa impediri facilius ab initio, quàm facta rescindi. n. 7. seqq.*
5. *Mosen quidem prohibere matrimonia ineunda, sed contracta non rescindere. num. 10. seqq.*
6. *Pœnas delictis contra jus naturæ à Deo propositas non statim ex eodem jure naturæ procedere. n. 15.*
7. *Æquitatem non posse spectari in puniendo incestu. n. 16.*
8. *Ignorantiam juris non excusare in incestu. n. 17. seqq.*
9. *Conscientiam non placari ex dispensatione. n. 20. seq.*
10. *Scandalum ex dissoluto matrimonio non oriri. n. 22. seq.*
11. *An dubium sit, quosdam gradus esse dispensabiles. n. 24. seqq.*
12. *An copula sacerdotalis faciat ad impetrandam dispensationem. n. 31. seqq.*
13. *An cohabitatio per aliquos annos præstet causam dispensandi. n. 35.*
14. *An petitioni dispensationis deferendum. n. 36.*
16. *Defectus mandati divini de dissolutione an operari juvet dispensationem. n. 37.*
16. *Expressa prohibitio matrimonii cum vidua fratris an tollat dispensationem. num. 39. seqq.*

Ertata æquus Lector ita corriget.

P Ag. 3. lin. 14. seq. lege, *Gamologia Synoptica.* pag. 23. lin. 2. lege, *restrictio.* ibid. lin. 4. lege, *probet.* pag. 24. lin. 3. lege, *Gamb.* pag. ead. lin. 20. lege, *argnere.* pag. 40. lin. 5. lege, *uxoris.* pag. 58. lin. 9. lege, *quod sic.* ibid. lin. 11. lege, *opponit possit.*

F I N I S.

Ka 2153.

ULB Halle 3
002 714 957



VA → 00

017

017







A CHIMI Bucholtz
siaci & in Academia
Professloris

RTIO

SI JURIS

*Principis cum
xoris sorore*

ARGUMENTA
s Taboris Jcti
manni Theologi.



ntibus Viduae Luciane
16 100 212.

7

